IACOBI CHRISTOPHORI FIDLER


MEDICINÆ DOCTORIS IN VNIVERSITATE

CAROLO - FERDINANDEA PRAGENSI

TRACTATUS

DE

FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS.



PRAGÆ ET VIENNÆ

IN OFFICINA NOBILIS A SCHOENFELD.

1784.

22,534

LIBRARY

INTRODUCTIO.

Quantas ſtrages in noſtra Patria dira Febrium intermittentium caterva eddat, nemo ignorare poteſt, qui tot Ægros vix membra trahentes, tot ingenia acuta, nunc ſupreſſa, tot hydropes, phtiſes tandem lenta morte finientes, & a ſola Febre intermittente inductas conſiderat.

Quamvis non deerunt, qui neſcio quonam de crimine me arguent, quod vel de his Febribus cogitaſſem, utpote: cum de hac materia integra volumina a ſummis Practicis conſcripta proſtent, quæ unicuique Practico pro dogmate ſufficere debent, ſupra quæ tentare, aut nihil eſſet dicere, aut hæreſes in Medicinam introducere, tamen

Si a præconcepta opinione recedimus, palam fateri debemus, quod hi omnes libri, vel tantum nos ſuperficiales harum Febrium

brium characteres doceant, vel niſi farraginem medicamentorum nobis obtrudant, ſicque unus in hoc medicamentum invehatur, quod alter ſatis extollere non poterat, unde æger, ſed hæc humiliori voce, heu quam ſæpe cruentas victimas vetulæ tradere non recuſabat! nec culpandus, nam ſui commodi ſtudioſus infeliciter pro minori malo pejus elegit.

Horum omnium fons diviſio Febrium intermittentium juxta differentias ultimas accidentales facta merito criminari poteſt.

In tanta ergo rerum varietate nulla alia via ſupereſt, quam ut ex ſignis & characteribus cujusvis Febris ab Authoribus obſervatæ, Syſtema Febrium intermittentium condatur, quod Baſim ſuam in eſſentiali, non in formali Febrium differentia habet. Idque pro viribus meis, quantulæcunque fuerint, tentabo, in magnis enim & voluiſſe ſat eſt.

CA-

CAPUT I.

De Febribus in Genere.

Febris definitiones a diverſis Authoribus datæ ſunt, ſed hæ fere omnes, nil niſi ſuperficiales notas continent, ac inde certis tantum Febribus competunt.

Vera ergo & genuina Febris definitio in illius natura quærenda, & in illis characteribus quæ omnibus Febribus competunt.

Febris itaque eſt: irritatio vel mediata, vel immediata cordis & arteriarum cum aucta illorum vibratione, & actionum aliarum animalium præſertim imminutione. *)

Duo ergo ad Febrim conſtituendam concurrere debent; nempe irritatio, qua cauſa, & actionum læſio, qua effectus, quæ duo Febrim ipſam ponunt. Irritatio duplex eſt, irritatio mediata, quæ infertur partibus vitalibus mediante vel cerebro, vel ſolis Nervis.

Mediante cerebro, ſic in contuſione, vulnere, irritatione topica cerebri accedit Febris, idem

*) *Selle Pyrethrologia. Winterl Theoria inflammationis.*

idem confirmant experimenta toties repetita, per inſtrumenta mechanica cerebro, qua ſtimulus applicata.

Per nervos, ſic nervo irritato a feſtuca aut ab alio ſtimulo ſive mechanico, ſive chemico augetur in parte, & paulo poſt in toto corpore febris, id omnibus Chyrurgis notum, ex ea certe ratione Antiqui operationibus dolentibus opiata præmittebant, quæ Moderni, nimium ſuæ dexteritati fidentes cum proprio damno negligunt.

Irritatio immediata, quæ immediate ab ipſis humoribus in vaſis contentis pendet, dum hæc aut copia, aut ſpiſſitudine, aut varia peccant acrimonia, unde vaſa, & cor irritantur, & in contractiones cientur. Cor ad ſtimulum etiam æreum obedire nemo ignorat, ſed arterias irritari poſſe, non favet Halerianis experimentis.

Poſſem his opponere experimenta noviſſime inſtituta a clar. Gortero. *a*) Zimermano. *b*) Loory. *c*) Verſchuir. *d*)

Sed

a) Experimento confirmat: Arteria aperta digitum immiſſum premit, ſimili modo, ut cor, mucrone illius abſciſſo. Exercitat. medic. de motu vitali ad § 43.

b) Tria experimenta arteriarum dat in duobus manifeſte ſe contraxit arteria ab oleo vitrioli: in uno cum

Sed in his diligentiam horum virorum mirabimur, & miſſis his ſenſus, & obſervationes quotidianas in teſtimonium vocabimus, atque ubi in his nihil detegi poterit, ad experimenta confugiemus.

Urticationes, Epiſpaſtica, Veſicantia, aliave ſtimulantia parti applicata, circulum ſanguinis augent, ruborem, calorem, inflammationem partis excitant, vi cordis eadem manente. Ab animi affectu, fumo, pulvere, aliove ſtimulo ſive mechanico, ſive chemico oculo applicato ingens fit lacrymarum profluvium, & oculi inflammatio. Ab acribus maſticatis, a nauſeoſis deglutitis multum ſecretio ſalivæ augetur, idem obſervatur in dentitione, in odontalgia, in vulnere. e) In gravi animi affectu, ut ira oculorum rubor, & totius corporis tranſpiratio aucta &c. Hæc inquam

---

cum nulla inde contractio fuerit obſervata, Autor id deducit, quod tardius fuerit inſtitutum experimentum vi vitali jam fere extincta. Diſſert. de irritabilitate pag. 24.

c) Invenit quoque aortam Spiritu nitri irritatam ſe contrahere. Recueil periodique par van der Monde Tom. VI. pag. 7.

d) Arterias rodendo & comprimendo ope ſcalpelli, & tenaculæ, eas contrahi vidit, non una tantum, ſed iteratis vicibus, ſæpe in diverſis aliquot locis. Diſſertat. de arter. & venar. vi irritabili. Groningæ pag. 20. 21.

e) In actis Pariſinis hiſtoria habetur Militis, qui vulnus acceperat in genu inflictum, quo ſimul duc-

quam omnia ſenſilitatem arteriarum inſignem teſtantur.

Hactenus egimus de vario irritationis modo, vidimus ex his ſimul, non ſufficere ſolum ſtimulum applicatum, ut febrim moveat, ſed debere neceſſario ab hoc ſtimulo impreſſionem in partibus vitalibus ſequi, quæ nempe irritatæ motus irritationi proportionatos faciant, inde non omnis animi affectus, aut non omnis ſtimulus alius vel mediate vel immediate vitalibus partibus applicatus, febrim ponit, habent ſe hæc pro ratione Syſtematis nervoſi & vaſculoſi, ſic hominem ſtudioſum, hypochondriacum, delicatulum, gracilem minima quæque movent, quæ laborioſum, durumque aratorem nec afficiunt, nonnunquam autem ſtimulus cordi & vaſis applicatus in conſuetudinem ceſſit, eaque inde non afficit fortiter amplius adeo, ut vera producatur febris. Sic in exemplo: Chylus, qui in ſanguinem infunditur, corpus noſtrum afficit, id docet pulſuum auctum robur, reſpiratio plus minus accelerata omnibus, dum coctione peracta Chylus, nondum humor undique homogeneus, cordi & ar-

---

ductus ſtenonianus erat diſciſſus, hic quoties cibaret, ſemper unico licet brevi prandio, vel cœna, tantam ſalivæ copiam perdidit, ut aliquot mappulas eadem madefaceret. (Hiſt. de l' Acad. de Paris 1719

& arteriis infunditur, nequit tamen id augmentum motus febrilis propterea dici, cum is motus naturalis, & ſine læſione aliarum functionum ſit. Ea conſuetudinis vis in venenis quoque obſervatur, quæ corpus noſtrum exagitant ad necem uſque, ſed conſuctudine ſucceſſive inducta ſtimulare ceſſant. Id tenendum eſt, de omni ſtimulo in ſanguine præſente, quotiescunque hi ſtimuli ſenſile inveniunt corpus pergit horum actio, unde varii effectus in corpore producuntur, hoc vocamus actionem læſam. In his omnibus dictis vera febrium natura conſiſtit.

Cauſa autem in febribus continuis agnoſcitur quintuplex, nempe: nervoſa, inflammatoria, pituitoſa, bilioſa, & putrida.

Ex obſervationibus omnium Practicorum evictum eſt, quod febris continua perſæpe mutatur in intermittentem, hæc denuo in continuam, ſine ut ſtatus morbi hilum mutatur, aut indicationes aliæ eſſent, ſed iisdem plane remediis, quibus diverſas febres continuas fugamus, iisdem etiam diverſis febribus intermittentibus medemur. Unde manifeſta harum febrium ſimilitudo inter ſe apparet; cur ergo non cauſæ ædem ſupponi poſſent?

Plures cauſas in febribus intermittentibus iam Galenus acgnovit, dum febris tertianæ bilem, quotidianæ pituitam, quartanæ atrabila-

rium

rium humorem accuſſavit; ſed hi varii ſtimuli, horumque natura melius ex datis Febrium hiſtoriis, & methodo medendi Autorum propria conſiderata, demonſtrabuntur. Sic frictionibus ſpinæ dorſi, Abdominis, cum unguentis aromaticis febres curatas vidit lib. Baro Van Swieten. Opiatis Galenus, Lind, Bagertus cortice peruviano fere omnes. Venæ ſectionibus Quarin, Witringam, Raygerus, Foreſtus. Sale Polichreſto magnif. Störk. Arcano duplicato Mynſchti, Sale Abſinthii Senac. Cremore tartari pulpa tamarindorum Quarin Tiſſot. Moultrie. Antiſepticis Quarin Tiſſot. Emeticis Stoll. Nec credo in Pharmacopœa continetur medicamentum ullum, quod non ſuum quandoque laudatorem invenit, nunc quonam animo poteſt eſſe Neo-Practicus, dum ſub unico titulo Febrium intermittentium totam Materiam Medicam apud Autores complexam videt. Quid aliud inde concludendum, niſi quod revera Febris intermittens ab intermittente toto cœlo differre debeat? Syſtema huic erit quam maxime neceſſarium, ut ſciat quidnam in omni caſu illi agendum ſit.

CA-

CAPUT II.

De Febribus intermittentibus in Genere.

Dictum ergo fuit quintuplicem dari Febrim continuam, nullamque differentiam eſſe inter continuas & intermittentes niſi quoad formam; tuto ergo concludere licebit quintuplicem dari etiam Febrim intermittentem, nempe: nervoſam, inflammatoriam, pituitoſam, biloſam, & putridam.

Febris intermittens nervoſa dicitur ea, quæ in ſenſilitate fundatur, unde aut a ſtimulo naturali majori, & immateriali, aut ſtimulo reali, ſed naturali etiam minori oriatur Febris. Ad primum ſic per animi affectum homines quandoque ira excandeſcentes illico horrore, calore, veraque febre corripiuntur. Ad ſecundum: ſic in acrimonia venerea quandoque accidit, ea enim ex ſua natura nunquam febrim movet, imo potius debilitatem, languorem corpori inducit, ſi corripiat corpus ſenſile non raro febrim movet.

Altera Claſſis eſt: quæ oritur a ſtimulo mechanico ſanguinis, a nimia ſpiſſitudine nempe aut copia ſanguinis, hæ febres adpellantur ſanguineæ, inflammatoriæ.

Tex-

Tertia Claſſis eſt febrium pituitoſarum: quæ oritur a ſpiſſitudine mucoſa, vel ab illius muci corruptione.

Quarta Claſſis: a ſtimulo putrido.

Quinta, a ſtimulo peculiari chemico, acrimoniæ oleoſæ, rancidæ, bilioſæ.

Hæ ergo febres inter ſe eſſentialiter differunt, quia & horum cauſæ & medela eſſentialiter differt.

Fatendum eſt, has febres raro obſervari ſimplices, quia & temperamenta adſunt compoſita, & plures cauſæ, eæque diverſæ, ad febrem efficiendam concurrere poſſunt, ſed ad notionem febrium compoſitarum neceſſario notio febrium ſimplicium præmitti debuit, unde compoſitio harum ſolo judicio cujusvis Practici facile committi poteſt, ſic in exemplo: Fœmina hyſterica corripitur febre, pone ex abuſu cibi animalis contraxit Saburram, erit cauſa duplex fomes putridus in primis viis, & ſenſilitas, conſequenter febris compoſita, ſed etiam poſſunt hæ febres cum aliis morbis non ſui generis complicari, ſic ſi Hydropicus corripiatur febre intermittente, erit complicatio febris cum alio morbo non febrili. Oritur itaque altera differentia eſſentialis ſimplicium febrium compoſitarum, & complicatarum.

Dif-

Differentia accidentalis erit inter ſebrem continuam & intermittentem, quod continua a primordio uſque ad ſummum incrementum eodem tenore pergat excepto gradu minori aut majori, febris contra intermittens per paroxyſmos adveniat, abeat, & denuo redeat.

Altera diviſio accidentalis eſt: in quotidianas, quartanas, quintanas, &c. plura de his commemorat *f*)

Tertia differentia in vernales & autumnales.

Quarta in benignas & malignas.

Quinta in veras & larvatas.

Sexta in ſporadicas, epidemicas, & endemicas.

Hæ omnes enarratæ differentiæ ſunt tantum accidentales, eadem enim febris in diverſis ſubjectis, jam poteſt eſſe benigna, jam maligna, jam vera, jam larvata. Et ſic porro idem tenendum eſt de febribus vernalibus & autumnalibus, non enim ſe morbi accomodant anni tempori, ſed aeris viciſſitudinibus. Cur autem fiat eadem febris in uno continua, in altero intermittens, ratio in ſolis nervis hæret. Idem in exemplo animi affectus, qui unum non movet, alterum in febrem continuam perducit, tertius ab eodem prehenditur febre intermittente, quartus Epilepſia, quintus Mania, ſextus per-

f) Cl. Trnka de febr. intermitt. pag. 11. & ſeq.

perinde ab hoc morbo gravi liberatur, id per omnia Medicorum obſervata evictum eſt. Sic a terrore febres continuas oriri monet illuſtr. Van Swieten *g*) febres intermittentes Tralles *h*) Epilepſiam a terrore in propria conjuge conſpexit Schenkius *i*) Imo exſtant hiſtoriæ, ubi milites pugnam ineuntes, febre quartana liberati ſunt. Grant.

CAPUT III.

De Febre intermittente Nervoſa.

Febris intermittens nervoſa: eſt exagitatio cordis, vaſorumque, a ſtimulo immateriali, vel materiali, ſed minore, quam ut in aliis ſubjectis febrim communiter excitare valeret, nervos exagitante orta, per paroxiſmos rediens, ſudore finiens.

Ad hanc requiritur irritabilitas muſculorum aucta, vel ſyſtematis nervoſi ſenſilitas præternaturalis: qua fit, ut quotiescunque Syſtema nervoſum afficitur, toties actio muſculorum præſertim vitalium augeatur, idem confirmant animi affectus; ſic in irrato homine ſtatim naſcitur validior & celerior cordis contractio, pulſus fit plenior, fortior, celerior, tument omnia & expanduntur etiam in macilentiſſimis;

ca-

g) T. I. §. 104. pag. 147.
h) de uſu Opii Sect. II. c. 2. §. 4.
i) Obſervat. medic. Lib. I. pag. 128.

calor major naſcitur in toto corpore, omnes fere tenduntur muſculi, truces prominent ſcintillantes ſanguine ſuffuſi oculi. ill. Van Swieten *k*)

Quæritur ergo nunc, quandonam anima motum cordis & arteriarum augere valeat? *l*) Certum eſt, muſculum voluntarium animæ obedire, ſed aplica muſculo voluntario ſtimulum ſive mechanicum, ſive chemicum, ceſſabit muſculus voluntarius dici, non obediunt muſculi animæ in convulſionibus, nec alia ratio eſt, quam quod impreſſio major deleat minorem, idem eſt in corde, aliisque muſculis vitalibus, cor a ſtimulo ſanguinis irritatur, movetur, tamdiu anima motum cordis & arteriarum non auge-

---

k) T. I. §. 104. pag. 148.

l) Minime hic reticeri potuit, quod adeo multos Phiſologos torquet, cum vident in Apoplexia abolitis functionibus animalibus & naturalibus cor ſat valide contrahi, reſciſſis nervis cor aliquo adhuc tempore moveri, in poteſtate noſtra non eſſe, motum cordis ſiſtere vel augere, directum imperium in muſculos voluntarios ſtatuebant, negabant in vitales, unde etiam hæc diviſio in muſculos volitarios & vitales hodiedum in ſcholis viget. Hanc differentiam plurimi quærebant in fluido nerveo, quod in voluntariis muſculi ab anima moveri valet, in vitalibus ſola circulationis lege; Alii Ganglia in muſculis vitalibus voluntatis imperium figere exiſtimabant, omnes hæ hypotheſes ſuas agnoſcebant difficultates, ſuosque habebant defenſores.

augebit, aut ſiſtet, quamdiu impreſſionem cordi majorem non inferet, quam ſit ſtimulus ſanguinis influentis, aut ſtimulum non minuet, aut plane delebit.

Patet ergo ex his, quando ſtimulus ab anima cerebro & nervis adveniens cordis & arteriarum motum augere valet. A contrario commercio animi cum partibus vitalibus ſublato, ſubito deletur motus cordis & arteriarum; manifeſtum hujus exemplum eſt in lypothimia ſyncope, redit motus cordis & arteriarum priſtinus quotiescunque commercium illud mutuum revocari valet.

Cauſæ febris intermittentis nervoſæ Pœgumenæ ſunt: labes hæreditaria, temperamentum, ætas, ſexus, idioſyncraſia & antipathia.

Labes hæreditaria primo loco numeratur, obſervationes id docent, febres intermittentes fœtui communicatas. Sic Geyerus refert caſum cujusdam Equitis, qui multos menſes febre laborans eodem tempore filium progenuit. Hic per quatuor ſeptimanas luce gaudens communi, eodem die, eadem hora, eodem momento cum Patre hujus febris paroxyſmum patiebatur. *m*)

Imo

m) Eph nat. Cur. dec. II. Ann. 5. obſerv. 229. p. 455.

Imo Rhodius familiæ meminit, cui propria erat quartana. *n*)

II. Temperamentum, ſic homines graciles, juncei, adeo ſunt ſenſiles, ut a leviſſima re fibræ alioquin tenſæ in motus cieantur.

Cerne Urbanum molliter educatum, en quanta in eo ſenſilitas? an non hunc res maxime indifferentes movent, dum Ruſticum durum vix res graviſſimæ! quanta in his diverſitas ex ſola conſtitutione corporis oriunda. Etiam temperamentum ſanguineum ad morbos nervoſos diſponit, quum in hoc ſit major, quam in reliquis ſenſilitas.

III. Ætas, Infantes maxime ſunt ſenſiles, quod demonſtrat pulſuum celeritas in hac ætate maxima, appetitus voraciſſimus, calor intenſus, perceptio facillima, an non a levi re infantes jam convellantur? Ex ea ratione plurimi Autores morbos nervoſos ſolis infantibus proprios eſſe non dubitarunt, & juxta id ſuam claſſificationem morborum condiderunt.

Ætas juvenalis, quia in hac magna ſenſilitas, maxime hic notandum, ſæpe ſubitaneum corporis incrementum, unde ab hac nervorum tenſione ſæpe convulſiones oriuntur, hic etiam

 nota-

n) Cent. I. obſerv. 12.

notari debet, maximum in hac ætate ad ſtudia incitamentum, æmulatio, & ſumma in animi affectus pronitas.

IV. Sexus, ſic fœminæ magis irritabiles ſunt quam viri, quorum habitus gracilis, mollis; virorum contra ſtrictus, multum ad hoc confert fœminarum vita otioſa, duris laboribus expers, notandum in fœminis tempus dum menſtruare incipiunt, ſi nimium aut plane menſtruare ceſſant, notandum tempus puerperii, lactationis nimiæ, aut ſuppreſſæ, ſub quibus occaſionibus aucta ſemper ſenſilitas invenitur, ac inde frequentiſſime morbi nervoſi excitantur.

In viris tempus pubertatis, ubi a ſemine, ſtimulo hucuſque naturæ ignoto Syſtema nervoſum afficitur; hinc Hypocrates ſpem denegavit iis, qui hac ætate ſuis morbis nervoſis ante pubertatem ortis non curantur; huic addi poteſt nimium tunc ad Venerem incitamentum, ac frequens Veneris exceſſus, & inde oriunda Hypochondriaſis nervoſa.

V. Idyoſincraſia: eſt autem illa alia diſpoſitio nervorum, quam quæ eſſe deberet ratione ætatis temperamenti vitæ actæ, &c. Hæc poteſt eſſe univerſalis, vel topica, univerſalis, ſic ſi homo phlegmaticus ſit irritabilis, appliac phlegmatico, tali Idyoſincraſia prædito ſtimulantia, facile corripietur febre. Caſu ſequen-

quenti id demonſtrat Alexander Monachus o) " habemus quendam in noſtra familia tempera-" menti maxime ſanguinei, cui crebriorem ve-" næ ſectionem imperarunt Medici. At quoties " obſequitur, inprimis Vere & Autumno, toties " altero, vel tertio die certo certius incidit in " tertianam. „ Topica. Sic ſi nervi ventriculi, inteſtinorum, vel alterius partis ſunt ſenſiliores. Odontalgiam nervoſam graviſſimam vidit cl. Prochaska in fœmina Moniali octoginta annorum ſene, quem caſum in Collegiis ſuis data occaſione nobis retulit.

VI. Antipathia, quæ eſt depravata imaginatio, ubi homo ab impreſſione facta aliter afficitur, quam ex eſſentia rei deberet. Sic ex eſu Anquillæ natam febrem tertianam vidit Etmüllerus *p*) a caſeo injeſto in fœmina. Immo obſervationes exſtant, ubi homines a ſolo febris intermittentis paroxyſmo viſo eodem fuere irrepenter correpti. Sola narratione, qua ratione acceſſiones intermittentium contingunt, attente audita, diſcipulus Hebelii *q*) ſibi tertianam accerſivit.

Abſolutis cauſis Prœgumenis, ſequuntur cauſæ Procatarcticæ, eædem tamen cauſæ Procatar-

o) Ephem. nat. cur. Dec. II. An. 4. App. p. 211. obſ. 51.
p) Adoctanas nota o) p. m. 258.
q) Act. Phyſ. Med. nat. cur. Vol. V. obſ. 117. p. 396.

catarcticæ a quibus febris intermittens oritur, non hancce ſolum, ſed aliam quamcunque febrim excitare poſſunt, quin morbos etiam non febriles cl. Madai.

Latet itaque in cauſis Prœgumenis jam morbus tectus, ut in ovo pullus, qui non eget niſi calore ad ſui evolutionem, id dicitur cauſa efficiens.

Inter cauſas Procatarcticas primo numerari poteſt quæcunque affectio nervorum valida, uti in ira, terrore, præſertim in iis animi motibus, qui diu inhærent & continuo Syſtema nervoſum mordent, ut fit in triſtitia, mœrore, indignatione, in amore inſatiabili erga Deum, Pecuniam, Patriam, aut rem, quamcunque ſibi caram; ab his ſtimulis nervi diu noctuque irritantur, unde tandem febres, præcipue autem longæ, uti ſunt febres intermittentes, hecticæ, maniæ oriuntur. Ex terrore & ira natam obſervavit febrem in virgine ſaniſſima Swietenius. Tralles. Ex terrore quartanam in fœmina Etmullerus. E pudore, metu, iræque juncto Riedlinus. E gaudio Madai.

Secunda cauſa eſſe ſolet: Venus immoderata, hæc duplici ex cauſa nocet, quia perinde humores deperduntur, unde ſenſilitas augetur; exemplo ſunt fœminæ hyſtericæ factæ

per

per nimiam jacturam lactis Tiſſot r) ſanguinis, animal mactatum prout humoribus privatur, ſic convellitur. Multo magis debilitat ſemen ammiſſum, quam omnes humores cl. Tiſſot s) etſi plurimi hanc debilitatem ſolis convulſionibus adſcripſerunt, ſed ſi conſideremus ingentes illas mutationes tempore pubertatis a ſolo ſtimulo ſeminis inductas, an non jam ſufficiens cauſa debilitatio ſit; ſi hic ſtimulus corpori demitur per nimiam evacuationem! cerne animal ante tempus pubertatis caſtratum, en quantam in eo animi dejectionem, virium defectum quantum deprehendes! natura jam patitur ignorans ſtimulum, quid ſi ſtimulus conſuetus per nimiam Venerem aufertur! compara quæſo hominem Venere conſumptum cum caſtrato, ubi nullæ convulſiones præceſſerunt, quantam ſimilitudinem in his ſolum in habitu externo reperies! parum certe evincit Phœnomen obſervatum, magis nempe debilitari homines unica ejaculatione, quam amiſſione liquidi, quod per dies quindecim fluxit in gomorrhæa, ſed dubito, an id, quod continuo fluit, cum vero ſemine comparari poſſit? cum ſeminis quantitas ſit exigua ſummorum Autorum conſenſu, quæ computatis omnibus reſiſtentiis drachmam unam vix excedet, ſed concedamus du-

r) Lonaniſme diſſ. ſur les maladies prod. par la Maſturbation p, 74.
s) Ibidem.

duplum, vel etiam triplum ſecerni in iis, quorum genitalia perpetuo madent, nondum erit difficultas ſoluta, cum hæc quantitas, quæ in Gonorhææ graviori caſu ſecernitur, major ſit, quam quæ ſeminis quantitas per ſeptimanam ſecerni valeat ex obſervatis.

Manuſtupratio. Plura ab ea damna illata quotidie cernuntur, nocet magis, quam Venus legitima, quia fit plerumque in pueritia, ubi ad coitum celebrandum non adeſſe ſolet occaſio frequens, quia hæc fieri poteſt omni tempore, etiam dum jam penis erectio exigua adeo, ut celebrando coitui impar foret, quia fit majore intentione, imaginatione & corporis ſitu plerumque ſedentis aut ſtantis. Ex his cauſis citius & frequentius luunt Manuſtupratores.

Secunda ratio, cur Venus nimia nocet, eſt; quia abſque convulſiva muſculorum actione actus venereus fieri non poteſt, ſummam certe habent ſimilitudinem ſymptomata in actu venereo obvenientia cum paroxyſmo epileptico, unde nervi debilitantur, & in motus hos abnormes proni fiunt. Sic hiſtericæ fœminæ, epileptici adeo in hæc mala faciles ſunt, ut a levi cibo animi affectu vel tantum aere frigidiuſculo corpori admiſſo jam convellantur. Nec deſunt obſervationes a nimia venere febres fuiſſe ortas, ſic Madai obſervavit in tribus viris pau-

lo

lo poſt initum matrimonium tertianam, in alio vero quartanam ex veneris abuſu natam.

Hiſtoria febris intermittentis nervoſæ. Incipit hæc febris cum oſcitatione, pandiculatione, laſſitudine & dedolatione corporis ſumma, pallore unguium, apice naſi, labiorum, oculorum, cum tremore totius corporis, concuſſu valido maxillæ inferioris ad ſuperiorem; ab hac dentium alliſione dentes in quartanario ſene cecidiſſe vidit Ill. Van Swieten *t*) quamvis ante morbum ſatis firmi viderentur. Accedit frigus tantum lib. Baro Van Swieten *u*) inprimis in ſenibus quartana laborantibus, ut membra rigeant penitus immobilia, & nulli fere articuli flecti poſſint. Mira fit faciei mutatio ob collapſum omnium vaſorum minimorum, cutis eſt anſerina, pulſus celer contractus, ſæpe debilis, reſpiratio anheloſa, ſitis ingens, urina aquoſa aut plane ſuppreſſa, durant hæc per duas tresve horas, tandem ſequitur tepor, calor mordax cum rubore faciei, dolore capitis, reſpiratione ſuſpirioſa, venæ nunc fiunt conſpicuæ, pulcro ceruleo colore pictæ, urina mingitur cruda ob attritum ſolidorum & fluidorum maximum. Supervenit ſudor, & tandem ſomnus, poſt ſomnum priſtina ſanitas. " Sæpe finito paroxyſmo " tanta manet debilitas & dolor in omnibus membris,

---

t) T. II. §. 749.
u) L. c. p. 512.

" bris, ut vix artus movere poſſet virgo mobiliſ-
" ſima in genere nervoſo, quæ tertiana autumna-
" li poſt aliquot paraxyſmos in quartanam dege-
" nerante laborabat. Swictenius „ x)

Sed difficultas ſæpe ingens naſcitur, non raro hæ febres longe aliam formam induunt, dicunturque propterea larvatæ, dificillime dignoſcuntur, & perſæpe lethales fiunt.

Primus, qui has febres pulcerrime deſcripſit, erat Mortonus y) ſic, dum loco horroris accedit convulſio, id obſervatur in infantibus, in viris hypochondriacis, fœminis hyſtericis, convulſiones durant per duas tresve horas, ſequitur calor & ſudor, & tandem priſtina ſanitas. Puer quotidie determinata hora peſſimis totius corporis convulſionibus cruciatus eſt, & his ceſſantibus tetanus univerſalis ſupervenit, quo poſt octo circiter minuta abeunte ægro rediit mens, & ſequebatur largus ſudor datis drachmis ſex corticis peruviani in mixtura tempore intercalari, altero die nullæ amplius convulſiones obſervatæ ſunt. Illuſt. Störk. Similis eſt hiſtoria decimaquarta Mortoni de filia Domini Sayers Procuratoris in doctors comons menſes XIII. natæ &c. z) Sæpe loco paroxyſmi

x) T. II. p. 512.
y) Op. med. Cap. IX. de Proteiformi interm. febr. gen. pag. 72.
z) Ibidem.

xyſmi ægri vomunt, vomitus autem illi vel ſunt inanes, perſæpe bilioſi, nam in affectionibus nervoſis bilem corrumpi jam Hypocrates obſervavit. Febrem talem ſub larva vomitus pertinaciſſimi materiæ porraceæ fingentis malum hiſtericum obſervavit cl. Quarin *a*) quam curavit cortice peruviano forma clyſmatis injecto. Similis eſt etiam hiſtoria Mortoni de Domina Baker vetula *b*) quandoque febris intermittens ſub larva dolorum moleſtiſſimorum certis periodis adfligentium abſconditur; docet id Hemicrania, dolor oculi ſiniſtri ad furorem fere auctus ab illuſtr. Van Swieten *c*) cortice curatus. Confirmant hæc dolores parturientium æmuli Mortonus. *d*) Similes etiam obſervavit in fœmina quadam duabus vel tribus a partu ſeptimanis alternis diebus recurrentes, & dolores unius cruris in homine quadragenario periodice revertentes clar. Allen, qui hos ambos ægros cortice peruviano ſanavit. Apoplexiam quæ non ceſſit evacuantibus, ſed ſolis nervinis vidit Sydenhamus. Sub anxietate, colica acutiſſima, odontalgia, palpitatione cordis, cephalagia, dolore palpebrarum, ſuperciliorum, temporum, vidit clar. Tiſſot. Febrem intermittentem, ſpaſmum diaphragmatis & partium reſpirationi inſervientium ſimulantem,

a) Meth. med. febr. pag. 135.
b) Lib. cit. hiſt. III. pag. 77.
c) Tom. II. pag. 534.
d) Lib. cit. pag. 92. hiſt. XIX.

tem, Mortonus. Vehementem cardialgiam, amauroſim, dolorem ingentem renum & lumborum, atque perpetuum mingendi conatum obſervavit illuſtr. Störk. Dolores lateris punctorios tanquam pleuriticos conſpexit Allen. Imo ſub forma Hæmoptoes viſa eſt uti magnif. Störkii obſervatio docet. — "Fuit vir triginta anno-
" rum, qui omni alterno die circa nonam ma-
" tutinam per totum corpus ſenſit horrorem,
" dein frigus ingens, tandem pectoris ſummam
" anguſtiam, & pulſus deprehendebatur admo-
" dum febrilis, remittente frigore ingrata ade-
" rat faucium ſiccitas & titillatio, hanc tuſſis
" ſicciſſima & violentiſſima excepit: intumuit
" facies, liverunt labia. Tandem tuſſi pro-
" diit copioſiſſimus ſpumoſus ſanguis, &
" mox ceſſavit titillatio, pectoris anxietas, &
" æger longe melius habuit, & ſenſim ſiluit
" tuſſis, & ſputum ſanguineum. Finito pa-
" roxyſmo nullam omnino moleſtiam æger con-
" queſtus eſt, nec reſpiratio videbatur difficilis,
" & vires fuerunt ſatis bonæ, viguitque appe-
" titus; poſt tres paroxyſmos cortice peruviano
" febrim hanc ſingularem ſuſtulit. „ *e*)

Omnia hæc recenſita mala determinato tempore incipiunt, ſequuntur ordinem febrium intermittentium " finiuntur abſque evacuatione ſen-

e) Ann. med. II. pag. 165.

" ſenſibili, atque eodem tempore ſecundo ni-
" mirum aut tertio die redeunt. „ cel. Saidler *f*)

Prognoſis hujus febris varia eſt, ſic Tortius *g*) Febris haud infrequenter homini poteſt prodeſſe: ſæpius vero illi aut vitam adimit, aut œconomiam vitalem labefactat. Et ſane experientia comprobatum eſt, quod graviſſimi morbi illius ope fuerint ſanati. Sic vidit Hypocrates paroxyſmos epilepticos, dum æger quartana fuerat correptus, ſiluiſſe, imo quandoque in perpetuum fuiſſe deletos. Sæpe econtra graviſſima mala, & mors ipſa pediſequa eſt. In genere malæ ſunt convulſiones plane in robuſtis, ſopor, tunc enim adſtantes ægrum dormientem ac ſalvum putant, interea moritur. Malæ febres quæ oriuntur ab animi affectu, qui amoveri nequit. Hæmoptoes, Apoplexia in primo ſtadio frigoris, nempe a ruptura vaſorum contingens frequentiſſime lethalis phtyſi ſæpe per frequentes nimium paroxyſmos vaſa diſtenta tonum amittunt, humores corrumpuntur, unde obſtructiones & hydrops oritur.

Objici quidem poteſt: cum paroxyſmi febrium intermittentium frequentiſſime tam regulariter typum ſuum ſervant, & in iis ſympto-
mata

---

f) Diſſert. inaug. med. de feb. interm. pag. 38.
g) Reſp. Jatro - Apolog. ad §. 55. nota e)

mata nervoſa contingant &c. omnes febres intermittentes nervoſas eſſe. Sed quia, uti partim jam dictum eſt, & per decurſum demonſtrabitur, præter cauſam immaterialem plures aliæ materiales febrium intermittentium cauſæ eſſe poſſent, quibus demtis febris ipſa tollitur, patet facile easdem nervoſas minime tunc dici poſſe, quodſi autem contingit, ut cauſa jam materiali ablata paroxyſmi febriles pergant, ob impreſſionem in nervis factam, nervoſæ tandem erunt, & unice remediis nervinis tractandæ.

Medela harum febrium eſt diverſa, quamvis hæ febres eſſentia ſua non differunt, diverſus tamen in diverſis ægris obſervatur ſtatus, unde debet variari methodus medendi. Eadem enim febris nervoſa corripit hominem qui habet ſolida laxa, torpida, alter dura compacta. Secundo, ipſe ſtatus nervorum a ſe invicem ſæpe differt. Tertio differunt etiam cauſæ, in uno movetur febris ab indignatione, ira, in altero a metu; triſtitia, in tertio a nimiis evacuationibus. Quarto ſymptomata, quæ ubique ſunt alia, in una febre adſunt convulſiones, in altera torpor, animi deliquia, hinc intelligitur ratio, cur ab uno fuerint adhibita perſæpe roborantia, uti a clariſſ. Etmülero, Hoffmanno, illuſtr. Störkio. Anodina, Narcotica, ab Hypocrate, Galeno, clar. Collin, Berrayto. Nervina penetrantia, ſtimulantia a clar. Monro, illuſtr. Van Swieten. Debuit ergo fuiſſe ſtatus

con-

contrarius, in primo caſu ſola laxitas & torpor ex defectu virium. In ſecundo nimia ſenſilitas. In tertio actio nervorum ſolum ſupreſſa.

In primo igitur caſu indicatio erit roborare, ſi vires fuerint exhauſtæ, reſtituendæ erunt per apta diætetica, non enim poſſumus vires reparare immediate, ſed mediantibus viribus coctricibus, quod præſtat pabulum ex juſculis carnium juniorum, oriza, granis hordei, ſago, vitellis ovorum, ſerum lactis, lac ipſum in hoc caſu optimum, niſi admodum vires coctrices lanqueant, tunc enim hæc abeunt in acidum; quare ingerenda erunt illa ea doſi prout vires coctrices ferunt; eſt enim in poteſtate noſtra corpus implere, ſed non replere, præterea vires coctrices adjuvandæ ſunt per remedia ſic dicta ſtomachica, qualia ſunt, cardamomum, centaurium minus, mentha, meliſſa, radix gentianæ, biſtortæ &c. Optime adjuvatur coctio, per frictiones aſperas in abdomine, ſpina dorſi factas cum fumo maſtichis olibani, myrrhæ, ſalis amoniaci. Teſtatur clar. de Haen ſe a triginta inde annis in quartanis rebellibus frictiones ſummo cum effectu inſtituiſſe. *h*) Hac methodo medendi Forreſtus *i*) avunculum ſuum ſeptuagenarium a quartana liberavit. In hunc ſcopum lintea intincta in ſpiritum menthæ abdo-

h) Rat. med. pag. 74.
i) Lib. III. obſer. 38.

abdomini erunt imponenda. Hic non ſpernenda mica panis ſecalini intincta in vinum rubrum, pulvere, cynamomi croci conſperſa. Tandem in uſum trahenda erunt roborantia. Inter ea, quæ tonum vaſorum augent, eſt aqua frigida, quæ irritando fibras in contractiones ciet; balnea itaque frigida erunt inſtituenda. Caſu id confirmat Gnöffelius k) de ægro tertiana laborante, "hic poſt frigus ſenſit calorem præter- "naturalem uſque ad delirium, omnium ad- "ſtantium amica ſeponens monita, ſuis de- "mandavit, ut ipſum ad transfluentem ibidem "fluvium deferant, in quem uſque ad collum "ſe demiſit, & eo uſque in aqua iſta ſe conti- "nuit, donec omnis calor præternaturalis de- "fierit. Sæpius iteravit, & priſtinæ ſanitati "reſtitutus eſt.„ Hæc balnea tamen cum cautela erunt inſtituenda, ſic ne homo imponatur poſt paſtum, unde timenda foret hæmoptoes, nec poſt gravem animi affectum, aut motum corporis validiorem, imo nec ſubito in aquam frigidam corpus erit ingerendum, ſed prima vice, ut ſit aqua frigidior uno gradu, quam ipſum corpus, tandem ulterius aſcendendo, interne erunt adhibenda roborantia, lignum quaſſiæ, clariſ. Sleger l) dictamnus albus, illuſtr. Störk m) gentiana Etmüllerus n) omnia præ-

k) Eph. nat. cur. dec. II. An. 6. obſ. 211. pag. 386.
l) Ephem. nat. cur. dec. II. an. 6. App. pag. 224.
m) Lib. de flam. Jovis cap. II. baſ. 4. & 5.
n) Opp. Tom. II. P. I. pag. 277.

præparata martialia clariſ. Selle o) inprimis autem cortex peruvianus, omnes.

De cortice peruviano in genere notanda erunt ſequentia: dicitur china china, aut cortex peruvianus cl. Tiſſot. Patria illius eſt regnum Quitenſe prope Coxam in America peruviana, Mortonus. p) Magnas initio controverſias cortex hic peruvianus peperit, donec lites has componeret cl. Tiſſot. Quare cortex peruvianus conſenſu Medicorum hodie omnium catholicon febrifugum eſt: neque opus eſt, ut Medici amplius ingenia ſua torqueant in aliis febrifugis, clariſſ. Allen.

Pro ratione circumſtantiarum cortex varia forma, varia doſi cum variis aliis remediis præſcribi poteſt: in pulvere, ſi ægris nauſeoſus non ſit, aut ventriculo gravis, quando corticis peruviani uſus in Europa increbuit, datus fuit in ſubſtantia, Van Swieten. Sic etiam ſuadet cl. Tiſſot. In infuſo vinoſo, in decocto aquoſo, il. Van Swieten. In clyſmate cl. Guarin. In emulſo Baumé. Etiam cum aliis indicatur, cum opio Sydenkam. Cum ſalibus mediis Guarin, cum antiſcorbuticis illuſtr. Störk. Cum rheo Mead. Cum marte Stoll. Plura de his Mortonus. q) Ingeri debet ad unicam unam etiam in febribus larva-

o) Rudim. Pyreth. pag. 315.
p) Trac. de morb. univerſ. acutis cap. VII. pag. 45.
q) Lib. & pag. cit.

larvatis quandoque ad unicam unam & ſemis tempore apyrexiæ, cur in tanta quantitate, cum tamen tempore Sydenhami ad drachmas exhibitus febres e medio ſuſtulerit! diſparet difficultas, ſi perpendimus illud iter, quod cortex peruvianus emetiri debet, & intermedios omnes mercatores, donec in noſtrum uſum cedat. Triplicem vidi corticem in Pharmacopœa, & animo dolui de ægro & Medico, qui hunc corticem tertiæ claſſis recepturus eſt.

Tutiſſimum eſt finito paroxyſmo incipere corticis uſum, & diviſis doſibus illum ſic exhibere, ut debita ejus quantitas æquali temporis intervallo abſumi poſſit, antequam ſequens expectetur paroxyſmus. Sydenhamus.

Potus optimus, aqua pura frigidiuſcula pauco cum vino acuata, cereviſia ſi quæ concedenda, debet eſſe anglicana, optimæ huic indicationi ſatisfaciunt aquæ martiales, uti eſt ſpadana, Stechnicenſis. Cavendum erit a potu tepido, cibo glutinoſo, vel nimium aſſumto, cavendum a quovis exercitio corporis valido.

Secundus ſtatus eſt, qui conſiſtit in ſenſilitate majori, hinc anodyna, quæ optima ſunt: emolientia *r*) dum enim fibra fit mollis, perdit ſuam ſenſilitatem, uti fit in temperamento phlegmatico. Emollientibus poſſunt addi pa-
rego-

---

r) Bomé des vapeurs T. I. pag. 184.

regorica: ſic flores verbaſci, papaveris, rheados, violarum &c. Hæc omnia longo uſu erunt adhibenda; his in conſortium debent vocari remedia externa: balnea ex aqua tepida, his addi poſſunt herbæ emollientes, lac. In hunc ſcopum clyſmata exigua doſi, ſed repetitis vicibus injicienda, eſt enim ſummus nexus inter nervos abdominales, & totius corporis. Si hæc non juvant, narcotica erunt adhibenda, hioſciamus, ſtipites dulcoamaræ "omnium autem "narcoticorum tutiſſimum atque efficaciſſimum, "omniumque maxime uſitatum eſt opium, cu-"jus virtute numeroſi mortales ab intermittenti-"bus liberati ſunt clar. Trnka *s*)" Tralles. Et poſt illum cl. Berraytus ingentem opii vim in febribus intermittentibus comprobavit. *t*) De opio notandum, quod debeat varia doſi exhiberi, unus enim a ſexta parte grani, alter a quatuor granis opii ſolamen experitur. Hæc igitur omnia varia forma & doſi erunt ingerenda.

Sæpe autem contraria juvant: ſic venæ ſectio in ſpaſmo valido, ſæpe decoctum florum arnicæ jemeticum refracta vel integra doſi ante Paroxyſmum exhibitum, hæc enim ſpaſmum excitando in parte, cui applicantur, ſpaſmum uni-

C

s) de febr. intermit. pag. 519.

t) Samlung auſſerleſener Abhandlungen zum Gebrauche praktiſcher Aerzte. pag. 141.

univerſalem ſolvunt. Simili modo agit arſenicum Pultem carpis applicatam ex ſalis nigri & lupuli anglicani recentiſſimi manipulis duobus, cum una quarta parte uvarum corinthiacarum factam; item fuliginem cum therebinthina, Milefolium ſacculo incluſum ſtomacho applicatum laudat Boyleus.

Hic uſum habet emplaſtrum febrile pro carpis Michaelis: quod conſtat ex fuliginis unc. ſemis terebint. un. vj telæ arane.r. un. ſemis camphoræ ſcrup. jj. olei ſcorp. q. ſ. ita camphoræ fruſtum carpis alligant ruſtici in Hungaria. Ita ranunculus in pultem contritus ſæpe ſubitaneam curationem fecit. illuſtr. Van Swieten. Delet enim impreſſio una alteram, & nunc intelligitur quare hæ febres per diverſos animi affectus ſæpius curatæ ſunt. Sic per terorem, iram, amorem, hilaritatem. Riedlinus narrat febrem deſparatam, dum ex improviſo explodebatur ſclopetum, ægro ſumme conterito profligatam fuiſſe. Eadem arte a tertiana contumaciſſima ſervum liberavit dominus, teſte Hunervolfio. *u*) Idem pariter tenendum eſt de transplantatione, & amuletis, imaginationis enim vis per hæc excitata ſyſtema nervoſum adeo ſæpe immutare valet, ut ad motus febriles porro minus jam ſit idoneum, febris idcirco conticeſcit.

Vlti-

u) Eph. nat. cur. dec. II. Ann. 3. obſ. 93. pag. 196

Vltimo poſſunt etiam applicari adſtringentia, quibus ſenſilitas ſæpe minuitur. Homo enim ruſticus fere ligneus vix eſt ſenſilis, exhibenda erunt talia, quæ hunc ſtatum rigiditatis inducere valent. Tali modo agunt cortex juglandi, fraxini, cascarillæ, hypocaſtani, alumen, bolus armena, ſuccus catechu Vngaris ſpecificum, omnia præparata martialia, & cortex peruvianus. Notandum tamen eſt, nos nihil affecturos, niſi animi affectus, a quo febris pendet, non fuerit diſcuſſus, tunc ergo Medicum oportet placido ſermone, perſuaſione ægrum lenire. Optima autem hic regula eſt audacibus metum incutere, timidos ſpe excitare.

Symptomata pallianda ſunt: primo vomitus ſæpe bilioſus, animi affectus ſuccos gaſtricos non raro corrumpunt, is ſolvitur Emetico, tandem poſt Emeſim ad normam Sydenhami poterit levis doſis opii ingeri ad turbas nervorum ſedandas.

Secundo, convulſiones a nimia ſenſilitate ortæ per paregorica ſolvuntur, per indirectum poterunt applicari veſicantia, hæc quidem morbum augent, ſed ſymptoma, quod ſæpe urget, palliant, finito paroxyſmo optimo cum effectu cortex ingeritur.

Notandus bene ſtatus eſt ſoporoſus, apud phlegmaticos, debiles, non raro obveniens,

quique triſtitia, mœrore animi, deliquiis, tremore artuum ſtipatus eſt. Indicatio hic erit actionem ſyſtematis nervoſi erigere. In hunc ſcopum inſervit Moſchus, aſa fœtida, ſal ſuccini, oleum animale dippelii, caſtoreum, ſpiritus cornu cervi ſimplex, & compoſitus. Omnia præparata ex mentha, meliſſa, camphoræ uſum laudat Etmüllerus. x) Cantharides cl. Colliny. y) Spiritu cornu cervi febrem curavit Crato. z) In hunc ſcopum laudatur radix ſerpentariæ virgintianæ, contrajervæ, valerianæ ſylveſtris, & a cl. Gaubio flores Zinzi.

CAPUT IV.

De Febre intermittente inflammatoria.

An febris intermittens inflammatoria detur, merito quæſtio moveri poteſt? cum plerique nil periculoſius eſſe exiſtimant in cura febrium intermittentium, quam venæ ſectiones, quæ tamen ſemper adeo magni habentur in omnibus morbis inflammatoriis, hujus opinionis erat Sydenhamus, a) in quibus ſequacem etiam habuit Swietennium, longo tempore hæ opiniones in medicina vigebant " donec im-

primis

x) Opp. T. II. P. I. coleg. p. m. 281.
y) Tractatus de febr. intermit. 830.
z) Lib. 5. contro v. & epiſt. ad Camerar.
a) Vid, ſec. I. cap. 5. pag. 391.

" primis Angli neoterici hoc febrium intermit-
" tentium genium determinarent. Selle *b*) „
" Methodus antiphlogiſtica in his febribus ne-
" ceſſarie adhiberi debet, qua neglecta hujus
" generis febres facillime in continuas tranſeunt.

Facile vero patet ea quæ adfirmant majorem ad confirmandum vim habere, quam ea, quæ negant. Negativa enim ſolum demonſtrant dari etiam febres, quæ inflammatoriæ non ſunt. Unica autem ſi foret obſervatio de febre intermittente inflammatoria, ſufficeret ad harum præſentiam demonſtrandam.

Febris autem intermittens inflammatoria dicitur illa, quæ oritur a ſtimulo ſanguinis proprio. Hic ſtimulus poteſt eſſe duplex, vel major copia ſanguinis, quæ ſuo pondere arterias dilatat, easque in contractiones ciet, vel major ſpiſſitudo ſanguinis reſpectu vaſorum, unde fit obſtructio vaſorum minimorum, & ſanguinis in locum obſtructum irruentis aucta celeritas. Stagnat enim ſanguis, & tranſire nequit per vaſorum minimorum anguſtias, lib. Baro Van Swieten *c*) Prima igitur febris oritur a Plethora, ſecunda a ſpiſſitudine lymphæ coagulabilis.

Cau-

b) Rudim. Pyrethr. pag. 306.
c) Tom. I. cap. de inflam. pag. 626.

Cauſæ hujus febris prædiſponentes ſunt: ætas juvenilis, temperamentum ſanguineum, conſtitutio robuſta, Huxham *d*) gracilis juncea.

Cauſæ efficientes menſium hæmorrhagiarum conſuetarum ſubitanea ſuppreſſio. Hyemale & vernale tempus Wintringam *e*) Tranſitus ex calore in frigus, ut fit poſt tonitrua, pluviam. Veſtitus accomodatus anni tempori, non aeris viciſſitudinibus. Diæta lauta, aromatica, abuſus ſpirituoſorum. Animi affectus, & prægreſſa febris inflammatoria continua non competenter tractata. Easdem igitur cauſas hæc febris agnoſcit, quas continua. Cur autem fiat ſæpe continua, non raro intermittens, difficile eſt dictu. Eadem enim nos premit difficultas, quæ in reliquis febribus.

Sic omnes concedunt a ſtimulo immateriali uti ſunt animi affectus, etiam materiali, uti eſt pituita, bilis, febres intermittentes oriri poſſe. Sed nemo hucuſque dedit rationem, cur hi ſtimuli applicati nunc febrem efficiant, tandem ſileant, poſt viginti quatuor horas, bis viginti quatuor horas, & ſic porro denuo Paroxyſmum priori ſimilem moveant. Ratio certe videtur hærere in nervis, & fors in febre inflam-

d) Opp. Ed. Reichel pag. 30.
e) Coment. Noſol in Opp. London 1752. pag. 326.

inflammatoria a conſtitutione vaſorum minimorum non parum pendebit.

Hiſtoria. Incipit hæc febris horrore intenſo, diu durante, anxietate præcordiorum, oſcitatione, pandiculatione cum ſiccitate oris, dolore capitis pulſatorio; hæc omnia ſequitur calor intenſus, ſed per totum corpus æquabilis, pulſus durus, celer, cephalagia, rubor faciei, tuſſis, urina rubra, lingua ſicca, cl. Tiſſot. Soluto paroxyſmo remanet dolor capitis, pulſuum aucta celeritas & durities, inde perfecta Apyrexia, hæc dici non poteſt, frequentiſſime hæc febris eſt quotidiana, non raro qrartana, ſæpe ſexto vel ſeptimo paroxyſmo febris evaneſcit per motum febrilem hæmorrhagiis obortis.

Prognoſis. Quo longiores ſunt paroxyſmi eo pejor, metus enim eſt, ne fiat febris continua, ſæpe fiunt hæmorrhagiæ criticæ, ſæpe autem per loca inconvenientia, uti pulmones, ventriculum, non raro inflammationes topicæ, unde tandem ſequitur phtyſis alicujus viſceris, ſæpe a diſtenſione & obſtructione vaſorum oritur hydrops.

Indicationes ſunt: I. Abundantiam ſanguinis, aut tenacitatem lymphæ ſolvere. II. Vaſa ampliare. III. Motum moderari. IV. Symptomatibus proſpicere.

Ad

Ad I. venæ ſectio, etiam pluries repetita, quia perinde aufertur cauſa morbi, ſolventia ſic dicta antiphlogiſtica, uti ſunt nitrum, mel, acetum, quæ omnia exiguo gaudent ſtimulo, ſuccum citri, acetum cum ſale polychreſto hic indicari cl. Quarin perhibet. Venæ ſectionem, decoctum hordei laudat Tiſſot, fit enim diſſipatio humorum, unde potus ingeri debet, & quidem talis, qui lymphæ miſceri valet.

Secunda indicatio eſt: vaſa ampliare, ſæpe enim in ſtatu ſano adeſt ſpiſſitudo phlogiſtica, quod docet ſanguis denſus apud aliquos ſolum in prophylaxim miſſus, nil tamen mali ob permeabilitatem vaſorum inducens. Hunc ſtatum obtinemus per emolientia, unde materia phlogiſtica apte valet per vaſa dilatata circulare. In hunc ſcopum inſervire poteſt decoctum altheæ, malvæ arboreæ, emulſio amigdalina, linctus parati ex oleis & ſyrupi blandis, balnea, fomenta, clyſmata emolientiſſima.

Tertia indicatio eſt, motum excedentem moderari, requiritur aliqua febris, ut materia coquatur, & per apta collatoria de corpore expellatur. Exceſſus autem nocet propter attritum ſolidorum & condenſationem fluidorum, unde ſæpe variæ inflammationes topicæ contingunt, moderatur autem hic motus per venæ ſectiones, emolientia, refrigerantia.

Quæ-

Quæritur: ex quibus ſignis poſſimus conjicere venam eſſe ſecandam? I. ex celeritate majori nunquam, hæc enim in omni fere febre adeſt, & ſæpe eſt pulſus tardus, & requirit venæ ſectionem, quando a nimia copia ſanguinis cor obruitur. II. A venæ ſectione erit temperandum, ſi poſt Paroxyſmum pulſus non eſt durus, ſed æquabilis & liber. III. Nec ſecanda ſemper, ſi pulſus eſt durus, is enim etiam obſervatur in febre nervoſa. IV. Nec venæ ſectio ſemper repetenda, quotiescunque ſanguis phlogiſticus extrahitur. Venæ ſectio celebrari debet, ſi pulſus plenior, durior, reſpiratio difficilior, maxime ſi abuſus ſpirituoſorum febrim præceſſerit, aut conſuetæ ſanguinis evacuationes intermiſſæ fuerint, Quarin. *f*) Tunc enim frequentiſſime hæ febres in juvenibus & ſanguineis mutantur in continuas. Langriſch *g*) Pringle. *h*) Si paroxyſmi nimis validi cum vehementi cephalagia, rubore faciei, tuſſi, urina rubra, lingua ſicca, & ſi abſoluto paroxyſmo pulſus priſtinam duritiem retinet, vena ſecanda eſt, Tiſſot. Unde ſanguis venæ ſectionis reperitur ſpiſſus, tenax, cruſta phlogiſtica tectus, toties id mihi videre contigit in noſocomio practico. Hanc diatheſim phlogiſticam ſanguinis pariter conſpexerunt cl. Hux-

---

f) Meth. med. febr. pag. 127. & 132.
g) Modern Theory and practice of Phyſic.
h) Obſervation on the deaſeas of the army pag. 215.

Huxham, Langriſch, & quidem tali modo, ut in quotidianis ſpiſſior quam in tertianis, & in his denſior quam in quartanis fuerit Wintringam referente cl. Selle. *i*) Unde ſæpe venæ ſectio bis, ter, imo quater nonnunquam debet repeti. Hic locum habet, ſi ullibi venæ ſectio ad animi deliquium celebrata; hac methodo uſus eſt Galenus ſapiente conſilio, perinde enim non tantum cauſa, ſed & impreſſio in nervos facta, ex qua hæ febres ſæpe ablata cauſa continuare ſolent, deletur. Hinc apte monet Ioh. Iac. Waldſchmidt. Venæ ſectio prudenter inſtituta inſtar ſpecifici alicujus febrifugi inſtantem paroxyſmum tollere poteſt. In eundem ſcopum valent refrigerantia ex diæteticis, ne cubile ſit nimis calidum, ne ſint ſtragula nimis ponderoſa, ne potus ſit fervidus, calor enim irritat. Ex fonte pharmacœphtico nitrum, oxymel, emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidorum majorum, ax amigdalis dulcibus. In hunc ſcopum inſervit limonada.

Ultima indicatio eſt ſymptomatibus proſpicere. Cephalagia, delirium, vigiliæ, quæ fiunt a nimio impetu humorum ad encephalon moderantur per ea, quæ derivant humores inferiora verſus, hinc venæ ſectio revellens, pediluvia, ſcarificationes, hirudines ad hæmorrhoides, ſynapiſmata, fomenta frigida ex infuſo flo-

i) Lib. cit. pag. 306.

florum ſambuci, & aceto roſacco &c. capiti erunt applicanda.

Symptomata non infrequens eſt diarrhæa ex ſolo potu nimio vel irritatione a melle, nitro, aceto, vel ex inflammatione topica inteſtinorum orta. Diarhæa a potu moderari debet, nam per eam fluida diſſipantur, reliqua inſpiſſantur. Dum diarhæa oritur a potu melito nitroſo, tunc erit ab his abſtinendum, horum loco danda erunt emolientia, linctus oleoſi, mucilaginoſi eruntingerendi; ſi hæc oritur a laxitate, exhibenda erunt: bolus armena, ſuccus catechu, ſuccus & ſyrupus berberum. In nimia ſenſilitate ſæpe cogimur confugere ad opium, ſi diarhæa cum dolore ex inflammatione topica inteſtinorum fit, tunc venæ ſectio cucurbitæ, ſynapiſmata revellentia erunt applicanda, interne olea blanda, decocta emollientia erunt ingerenda.

Tertium ſymptomata, quod ſæpe obſervatur, eſt alvus abſtructa, ubi eſt tunica inteſtinorum viloſa ſicca, ſæpe ex hac cauſa oritur dolor capitis, vertigo, delirium. In hunc ſcopum valent omnia humectantia, olea blanda, mucilaginoſi cum aqua tepida varia forma præſcribenda, hæc enim diu parietibus inteſtinorum adhærent, dum contra ſola aqua de corpore brevi diſſipatur, majorem ſiccitatem poſt ſe relinquens.

Sed

Sed ſæpe omnibus his indicationibus ex aſſe abſolutis paroxyſmi febriles continuant, ex ſola debilitate inducta, vel impreſſione in nervos facta. Sic clar. Haen optime monet; *k*) non enim hæc curatio antiphlogiſtica ſemper ad febrim profligandam ſufficit, ſed cauſam tantum occaſionalem dirimit, impreſſionem jam factam relinquit. In hunc finem valet diæta roborans, uti fructus horaci, poma aurantionum, poma citrina, hæc enim prætorquam quod phlogoſim ſolvunt, grata ſua aciditate non parum febris robur addunt. Sæpe fortiora exhibere cogimur, uti ſunt; ſuccus berberum, acatiæ, cathechu, præprimis corticem peruvianum. Hæc autem melius determinantur ex ægri circumſtantiis, & morbi longitudine, quam verbis exprimi valent. Videndum autem, ne ad impreſſionem in nervis factam auferendam talia roborantia in uſum trahantur, quæ antea cauſam occaſionalem augebant.

Dantur etiam febres inflammatoriæ intermittentes larvatæ. Sub forma ophtalmiæ, pleuritidis, peripneumoniæ, apoplexiæ intermittentis, viſæ ſunt a Medicis. Sic inflammationem penodicam oculorum vidit Senac, pleuritidem intermittentem Sawages. *l*) Inflammatio-

k) Rat. med. T. XI. p. 53.
l) Noſ. meth. T I. pag. 473.

tionem pulmonum vidit Sarcone. *m*) Febres hæ ommiſſis venæ ſectionibus peſſima mala generant, ſic il. Haen pleuritidem talem ommiſſa venæ ſectione in abceſſum purulentum degeneraſſe refert.

CAPUT V.

De Febre intermittente pituitoſa.

Febris intermittens pituitoſa deſcripta proſtat apud cl. Lomium *n*) Senac *o*) a cl. Sarcone ſub nomine: febris glutinoſæ gaſtricæ, & a cl. Grant, ſub nomine ſinochi non putris, apud alios ſub diverſis titulis tecta apparet.

Dicitur autem febris intermittens pituitoſa, quæ oritur a ſpiſſitudine mucoſa, vel illius muci acrimonia. Duplex autem modus eſt, quo humores pituitoſi in corpore naſci poſſunt: primo ex cibis glutinoſis injeſtis: 2. ubi cibi ingeſti optimi, ſed ob ventriculi debilitatem, animi mœrorem, triſtitiam, defectum motus mutantur in chylum crudum, humorem lentum, viſcidum, unde tandem ſanguis diatheſim mucoſam contrahit. Hæc colluvies pitui- toſa

m) Geſchichte der Krankheiten zu Neapel, T. I. p. 211.
n) Obſerv. med. pag. 10.
o) Hiſt. morb. Vratisl. pag. 102.

toſa in primis viis dominans, ſæpe ſola, ſæpe conditio ſanguinis glutinoſa, aut acris redita, ſæpe ambo conjuncta febrim movent. Uti optime cl. Sarconem venæ ſectiones in hac febre celebratæ, & poſt mortem anatome inteſtinorum inſtituta docuere. *p*)

Cauſæ hujus febris prædiſponentes ſunt: I. Ætas infantilis & puerilis, quia in hac adeſt, muci copia major, uti omnes excretiones docent, & ſolidorum omnium laxitas. II. Temperamentum phlegmaticum. III. Sexus fœmineus, qui plurimum de temperamento phlegmatico participat. IV. Debilitas corporis a quocunque morbo prægreſſa, plane ſi hi frequentibus venæ ſectionibus emeticis & purgantibus fuerunt tractati. Sic Grant *q*) refert: uſum de militibus ab Iſchuria per frequentia purgantia curatis, tandem in febrem intermittentem delapſis.

Efficientes: I. aer humido frigidus, hinc dictæ fuere hæ febres vernales. II. Ventus e regionibus adveniens, multum pluviæ, nivium ſecum adferens, cl. Grant. *r*) III. Defectus motus. IV. Animi affectus triſtis. Fluviorum tardus motus. V. Vegetabilium defectus. Potus

---

p) Vide Vol. VI. pag. 155. & 141.
q) de febr. interm. pag. 36.
r) Lib. c. pag. 18.

tus non bene fermentati, glutinoſi, qualis eſt cerevifia plane glutine fucata, piſcium ciborum glutinoſorum butyraceorum abuſus; & hæc eſt ratio monente Grant s) quare apud catholicos ſub finem jejunii quadrageſimalis tam frequentes febres intermittentes dominantur. VI. Inſana diæta, caſeus, aſſaturæ frixatæ, ſordidumque vitæ regimen. VII. Excretiones mucoſæ ſuppreſſæ, ut ſunt vomitus pituitoſus apud aliquos conſuetus, diarhæa mucoſa, hemorrhoides fluentes, fluor albus, ſubitanea deſueſtio herbæ nicotianæ. VIII. Cubilia humida ob ſitum depreſſum, inundationes, præſertim magna copia cohabitantium repleta, inſimul coquendo, lavando, dormiendo, ut fit apud pauperes, deſtinata. IX. Hemorrhagiæ naturales ſuppreſſæ, t) & inde producta chloroſis.

Decurſus hujus febris eſt: initium hæc febris varium habet, non raro ægri jam antea per ſeptimanas conqueruntur de membris ponderoſis, poſt ſomnum ſe ſentiunt debiliores, os muco plenum præſertim mane eſt, comedunt, ſed non ob famem, magis ob conſuetudinem, urinam mittunt craſſam, turbidam, poſt paſtum de flatibus anxie conqueruntur, hæc durant ſæpe diu, donec accedente aliqua

cau-

s) Lib. c. pag. 18.
t) Lib. c. pag. 313.

cauſa febre corripiuntur. Sæpe autem optime valentes ob animi affectum, vel motum validiorem exercitum, dum homines tota hyeme vitam ſedentariam agentes magnam copiam pituitæ collegerunt, tandem tempore bachanalium aut vere ingruente ob diem ſerenum multum temporis ſpatiando conſumunt, ſæpe illico domum redeuntes, horrore, calore corripiuntur. Durat hoc ſtadium ſæpe diu abſque intermiſſione febris, diciturque propterea Anglis un formed ague, donec tandem ſæpe ob evacuans aſſumptum, vel ob frigus adveniens febre ad tempus liberantur, poſt viginti quatuor horas, bis viginti quatuor horas & ſic porro denuo redeunre. Paroxyſmus hujus febris incipit cum livore unguium, pallore apice naſi & oculorum, ex his ſignis ægri jam ſuum paroxyſmum rediturum præſagire norunt, tandem ſequitur horror, frigus, tremor totius corporis, cutis fit anſerina, pulſus celer, raro durus, præcordiorum anxietas, dolor capitis oppreſſorius, diu hoc ſtadium durat, & inæquale eſt, tandem venit tepor, & longum poſt tempus calor, urina mingitur lateritia, ſupervenit ſomnus, & tandem ultimo ſudor viſcoſus multum debilitans, finito paroxyſmo manet debilitas, appetitus deletus, os paſtacium, nauſea.

Signa hujus febris pathognomica præter anamneſtica ſunt: frigus nunc leve longeque du-

durans, convulſivum cl. Senac *u*) Paroxyſmi quotidiani & quartani illuſtr. de Haen *x*) lingua glutinoſa, ſubſtantia alba, quaſi lardo obducta, Sarcone *y*) Pondus ventriculi, & præcordiorum oppreſſio.

Non raro hæ febres aliam metamorphoſim ſubeunt, dicunturque larvatæ, ſæpe in Paroxyſmo ægri vomunt loco horroris, tandem ſequitur calor, ſudor, & perfecta apyrexia, vel ægri diſſenteria corripiuntur. Sarcone *z*) Non infrequenter ſub facie pleuritidis ſpuriæ, anginæ, gaſtritidis, hæmorrhoidum, apoplexiæ, viſa eſt hæc febris larvata, etiam ſub forma peripneumoniæ nothæ, confirmat id Caſus a Magnif. Archiatorum cæſ. com. Ant. Störk *a*) relatus. "Autumno & hyeme nu-" meroſi ægri in Noſocomio decubuerunt, qui" febre intermittente pectorali laboraverunt.,,

" Hi ægri nil conqueſti ſunt, verum erant de-" biles, pulſum habuerunt mollem, plenum cele-" ritate naturali fere æqualem, quandoque fere un-" dulantem, appetitus fuit admodum exiguus, ſi-

 " tis

u) Hiſt. morb. Vratisl. pag. 102.
x) L. c. T. XI. pag. 54. & ſeqq.
y) L. c. pag. 100.
z) L. c. pag. 172.
a) Ann. med. II. pag. 172. & ſeqq.

" tis nulla reſpiratio naturali paulo brevior, verum neque anxia, neque laborioſa; facies autem fere ſemper fuit roſea, & cutis levi ſudore madebat; urina prodiit cruda, floculenta, ſubviridis, aut valde tenuis; alvus fuit immorigera, hi ægri frequenter gemuerunt, nulla autem tuſſi vexati ſunt, ſcreatu quandoque gluten rejecerunt, quotidie determinata hora ſenſerunt horripilationes, frigus, & dein ortus eſt magnus calor, cui jungebatur tuſſitatio & ſitis, & pectoris anxietas, & reſpiratio celeris; facies eſt magis incenſa, urina prodiit flammea, caput vehementer doluit, pulſus factus eſt durus, valde febrilis. Horripilationes & frigus, ultra horæ quadrantem nunquam durabant, calor autem ſitis, & anxietas per binas, tres quandoque horas continuarunt: deſinente calore ſecutus eſt largus ſudor, qui ægros multum defatigauit, ob magnam ægrorum debilitatem ſæpiſſime ad hanc febrim profligandam corticem peruvianum exhibui, nullus autem unquam effectus obſervatus eſt. Paroxyſmi eodem tenore, & eadem vehementia reverterunt; imo anxietas quandoque poſt uſum major orta eſt, non potuerunt facile malum cognoſcere tyrones, quoniam ægri rogati ſemper reſponderunt pectus eſſe omnino liberum, & quoniam nulla fere tuſſis obſervata eſt, remedia antifebrilia nil juverunt, decocta autem amollientia, expec-

" toran-

" torantia his ægris maxime conduxere, quamprimum ſputum copioſum cœpit prodire, ſymptomata omnia leviora facta ſunt, & paroxyſmi, qui febrim intermittentem mentiebantur, ſenſim evanuerunt. Paregorica veſpertina magnum levamen attulerunt, etenim ſine his noctes fuerant vigiles, ſub finem ſecuta eſt diarrhæa glutinoſa, quæ mox reſtituit appetitum, & levavit præcordiorum anguſtias, adhibita quamvis omni cura, tres tamen ægri hac febre affecti contabuerunt: ſub finem intumuere pedes, dein manus & brachia, hi ægri nunquam potuerunt jacere, illico enim anxii fiebant, & fere ſuffocati ſunt, haud raro de ſomno ſubito evigilarunt, poſt mortem pulmones reperti ſunt flaccidi, mucoſi, & multum gluten ſubflavum gelatinæ inſtar intra membranam pulmones exterius ambientem effuſum hæſit. „ Non potui hanc obſervationem utiliſſimam, quam hic ad verbum transfero, negligere; malui enim potius in reliquis brevis, quam in tantis parcus videri.

Prognoſis harum febrium eſt diverſa: minime hic attendendum eſt ad pulſum, ſed ad linguam, & reliqua ſigna primarum viarum affectarum atendendum erit, quamdiu hi paroxyſmi durant, & qua intenſitate. Nec illico hæc febris erit e medio per laudata febrifuga tollenda, alias obſtructiones fiunt irreſolubiles,

 unde

unde morbi chronici, phtyſis, icterus, hydrops, vel depoſitiones ad loca vitalia contingunt.

Indicationes erunt juxta nocentia & juvantia dirrigendæ, diarrhæa, vomitus, hunc morbum tollit, aut ſaltem multum levat, cauſa eſt ſemper pituita, ſive illa in ventriculo, inteſtinis, ſive in ſanguine hæret; prima igitur indicatio erit pituitam ſolvere, quæ ſæpe glutinis adinſtar cohæret, nec cruda, ſed cocta evacuanda ſunt, ſi evacuantia ab initio adhibentur, tunc raro evacuantur ea, quæ deberent, liquida ejiciuntur, reliqua inſpiſſantur, hinc recte cl. Quarin monet: ſi ſaburra non adeo mobilis eſt cum ſucceſſu aliquot drachmæ ſalium mediorum emetico præmittuntur; ſic enim glutinoſum inciditur, & ad faciliorem evacuationem diſponitur. Hinc optime exhibentur ſolventia, attenuantia ex decocto graminis taraxaci cichorei &c. addito ſale aliquo, uti borace, cremore tartari; ſi autem ſaburra viſcidior, tunc ſal amoniacus, alkalinus fixus vel volatilis utiliter adhibetur. Etiam requiritur, ut ſolidorum ſit diſpoſitio, ſicque facilior evacuatio contingat, & magis perfecta. Cogimur tunc quandoque venam ſecare ob impetum magis auctum ſub emeſi verſus encephalon. Sed venæ ſectio hic parca manu inſtitui debet, & attendendum eſt, ne in cru-

ore

ore luſtrato monento Sarcone, *b*) conditionem ſanguinis glutinoſam cum diatheſi phlogiſtica confundamus; ſicque venæ ſectiones ſine neceſſitate imperemus.

Dum pituita ſoluta eſt, quæ ſe manifeſtat glutinoſitate oris, nauſea, vomitu ſpontaneo, diarrhæa, illico ad emeticum erit confugiendum. Emeticum non tantum prodeſt quatenus evacuat, verum ſæpe ſuo ſtimulo movet, & turbat totum corpus, ſicque mutat illam conditionem, quæ nunc adeſt; præterea validis illis concuſſibus ſæpe ſolvuntur & expelluntur plurima, quæ aliis remediis expediri nequeunt, Seidler *c*) Tandem etiam in omni evacuante attendendum eſt, ut via breviſſima materia peccans ejiciatur, nullum autem brevius iter eſt, quam per emeſim, dum contra per purgans exhibitum inter plicas inteſtinorum remanet ſaburra hærens, unde multum de hac vaſis bibulis reſorberi valet. Confirmant hoc olim in Noſocomio Pazmariano vernali decumbentes, qui omnes fere vomitorio opus habuerunt: præmiſſa enim remedia digerentia, diluentia, purgantia &c. nil profuere, unico vero quandoque vomitorio, eoque ſolo ſubinde tamen repetito curati ſunt, illuſtr. Störk. Ad emeſim procurandam maxime

b) Lib. cit. T. II. pag. 190.
c) Diſſ. cit. pag. 23.

xime arridet ſolutio circiter quinque granorum tartari emetici in unciis ſex aquæ per epycraſim ſumenda, donec ſufficiens vomitus ſequatur. Huc ſpectant omnia præparata mercurialia, antimonialia, ea enim præterquam quod evacuant, ſuo ſtimulo viſcidum gluten attenuant ſola ypecacuanha ut Zimmermannus ait: in pituita repleto, hinc minus ſenſibili ac dificilius irritabili ſtomacho ſufficientem effectum non præſtat. Si emeticum contra indicatur purgans exhibere oportet phlegmagogum ex ſalibus mediis, foliis ſenæ, agarico albo, reſina jalappæ, ſcammoneo. In hunc ſcopum valet aqua laxativa viennenſis pauca doſi ſalium acuata, ſal amarus, thermarum carolinarum &c. Nauſeoſis cl. Quarin ſequens gratum & efficax medicamentum recommendat. Si nempe octo circiter drachmæ ſalis ſegneti in binis libris juris carnium non ſaliti ſolvantur, & per cyathos ſumantur, donec æger purgetur. Optimum autem eſt evacuans ante ingreſſum paroxyſmi exhibere, hac enim forti impreſſione facta in nervos ſæpe paroxyſmus imminens tollitur.

His factis, tertia indicatio urget, nempe coctionem adjuvare, ſi jam ſaburra in viis ſecundis hæret, vel jam forſan a diu durante febre obſtructiones alicujus viſceris factæ ſunt, tunc optime propinantur ſolventia juncta ſtimulantibus, ob torporem & inertiam in hoc

mor-

morbo præſentem; inter hæc primarium locum ſibi vindicant omnia ſalina, gummata ferulacea, omnia præparata antimonialia & mercurialia, cantharides, &c. Hæc omnia pro ratione circumſtantiarum jam mitiora, jam fortiora erunt exhibenda. Sæpe autem ſolventibus per aliquot dies continuatis priſtina colluvies in primis viis apparet, unde tandem ad ſecundum emeticum aut purgans, imo quandoque ad tertium deveniri debet. Notandum tamen eſt, emeticorum & purgantium uſu haud diu pergendum eſſe, omnes enim humores noſtri corporis ſucceſſive evacuari poſſunt; imo continuat frequentiſſime febris non ſolum, ſed etiam ſigna ſaburræ, licet nullæ amplius ſordes in primis viis adſunt; & non raro fit, ut hic ſtimulus characterem nervis jam imprimens deleri nequeat, unde per talia evacuantia liquida eliciuntur, fruſtra ægri debilitantur, digeſtiones hic inprimis neceſſariæ turbantur, ſicque diuturnitas morbi vel & mors ipſa producitur Boerhaave. Per crebro adhibita evacuantia in maniam incidiſſe ægros in provectioris ætatis hominibus lethalem tonſillarum inflammationem, in aliis hydropem, quandoque & diabethem ortam fuiſſe teſtatur Sydenhamus. Imo nec quidquam ſemper docent fœtida alvo expulſa, confirmat id Caſus ab illuſtr. Van Swieten, de Helmontio relatus. Ingerenda tunc jam erunt amaricantia, roborantia ventri-

triculo præprimis dicata, & omnia quæ in cura febrium intermittentium nervoſarum laudata fuere. Optime exhibentur flores & radix arnicæ, præparata martialia, cortex peruvianus cum ſalibus mediis, rheo, antiſcorbuticis, vel in infuſo vinoſo exhibitus. Plura de his Quarin. *d*)

Cavendum erit quam maxime, ne ſaburra adhuc in corpore latente ad corticem confugiamus, icterum, hydropem, aſthma quandoque imprudentem corticis peruviani uſum ſecuta fuiſſe obſervationibus medicis conſtat. Sydenham *e*) Triſtes caſus de uſu corticis præpoſtere adhibito refert illuſtr. Van Swieten *f*)

Unicum reticere non poſſum: anno ætatis decimo ſexto vere ingruente febre intermittente pituitoſa correptus ſum, cortice peruviano illico exhibito febris evanuit, poſtea majori intenſitate rediens, ſexies recidivam paſſus ſum, autumno tamen, dum fors bilis majorem nacta eſt acrimoniam, diarrhæa correptus ſum, & febris ſopita eſt, ſed remanſit tuſſis chronica, pectoris anxietas, debilitas corporis, & leves poſt paſtum horrepilationes per

---

d) Lic. cit. pag. 140. & ſeqq.
e) Medical Eſſays T. IV. cap. 24. p. 416.
f) Tom. II. pag. 562. & ſeqq.

per ſex annos oneri mihi vixi, donec tandem ante biennium febre pituitoſo inflammatoria continua correptus, cl. Proffeſſoris Plenczĭz cura non tantum a febre præſente, ſed etiam a malo inveterato liberatus ſum, cui quantum debeo, res ſatis abunde loquitur.

CAPUT VI.

De Febre intermittente putrida.

Febris putrida deſcripta eſt a cl. Grant *g*) ſub nomine ſynochi putridi. Febris maligna dicitur cl. Stoll *h*) Langriſch *i*) Marſch fever Pringle *k*) Senegal feuer Brookes *l*) Amphimerina hungarica Sauvages *m*) Yelow fever Hilary *n*)

Præterquam quod diverſus erat de hac febre inter Medicos concœptus, uti monet Grant *o*) ita plane non defuerunt quam plurimi qui nullum de hac concœptum habuerunt, aut ſaltem habere

g) L. c. pag. 249.
h) Tom. II. pag. 18.
i) Obſervations on the deaſes of the army p. 348.
k) Jail or hoſpital feuer pag. 284. & ſeqq.
l) General pratice of Phiſic &c. pag. 164.
m) Noſ. meth. T. I. pag. 324.
n) Obſervations on the Changes of the air and the epidemical deaſes in the Island of Barbados. London pag. 143.
o) L. c. pag. 251.

bere noluerunt: negabant putredinem in noſtro corpore locum habere poſſe, cum ad humores noſtros in vaſis contentos liber acceſſus aeris non detur. II. Circulus eſt defenſor putredinis, qui in noſtro corpore eſt validiſſimus. Notum enim eſt aquas ſolo motu a putredine præſervari, dum contra ſtagnantes teterrimam exhalant mephitin. III. Quod in febrium contagioſarum epidemicarum initio ſanguis non ſemper appareat diſſolutus. Hæc ut ut ſpecioſa & autoritate ſummorum ſtipata ſunt, parum tamen evincunt. Atque

Ad primum: Quomodo id fit, ut in abſceſſu clauſo pus quandoque ichoroſum, fœtens, homines in animi deliquia inducens per paratam viam prodeat? quare aquæ in cavo aliquo occluſæ corrumpantur? quare cadavera ſola expoſitione aeri putreſcant? ſi non liber acceſſus aeris datur? valet enim aer ut cel. Marherus aſſerit vaſa minima intrare, quod puellarum tenerarum inflata facies docet, ſi quando occluſæ in publicum prodire cogantur.

Ad ſecundum: Circulus eſt defenſor putredinis, ita eſt, quamdiu circulus humorum omne putridum de corpore expellere valet, ſalva ſunt omnia, ſed quoties ea, quæ deberent excerni retinentur, tunc primo fit morbus putridus, manifeſtum hujus exemplum eſt in Iſchuria vera & ſpuria in calculo ductus

cho-

choledochi &c. Imo ſolus motus vitalis ſufficit ad has febres producendas, per motum enim continuum fluida corrumpuntur, acriora fiunt, a ſolo enim motu valido læthales quandoque febres putridæ oriuntur.

Ad tertium: Quod ab initio non ſanguis diſſolutus extrahatur nil vetat, nec tunc adhuc vera putredo adeſt, latet enim ſæpe diu miaſma putridum, ut infectiones docent, donec ſucceſſive humores noſtros corrumpat; quæ tandem perfecta corpus univerſum afficiens mortem inducit. Imo nec ſanguis diſſolutus omne id comprehendit, in quo febris hujus natura conſiſtit, dum putridum omne per varia collatoria, uti: urinam, alvum, ſudorem, alkali redolentis, excretum corpus immune ſervat.

Nunc dicendi ſunt modi, quibus febris putrida oriri poteſt: oritur autem hæc I. Ex retentione illius humoris, qui actu putridus eſt, vel in putredinem proniſſimus, uti eſt urina, alvus, ſudor. II. Ex infectione, ſi quis putrida ingerat; in noſocomio, in carceribus magna copia hominum repletis plane meticuloſus degat, vel in aere miaſmate putrido pleno, vel ſi quis in corpore ulcus gangrænoſum, abſceſſum clauſum diu gerat.

Cau-

Cauſæ hujus febris prœgumenæ ſunt: I. Temperamentum ſanguineum, phlegmaticum. II. Solida laxa Huxham *p*) III. Humores juſto tenuiores. *q*)

Cauſæ efficientes: I. Abuſus earnium Quarin *r*) II. Transſpiratio ſupreſſa clar. Trnka *s*) III. Loca paludoſa, ex hac cauſa in urbe Temeſvar Hungariæ febres intermittentes endemicæ ſunt. IV. Piſcinæ, ſtagna, lacus. V. Conſtitutio epidemica. VI. Effluvia putrida tempore calido Hilary *t*) VII. Defectus cibi vegetabilis, aut plane defectus annonæ. VIII. Sol per longum tempus tectus nubibus, tunc per obſervationes cl. Ingenhuz vegetabilia aerem non reficiunt. IX. Animi affectus triſtes. X. Athmoſphera ſtagnans frequentia hominum polluta. Hinc in Noſocomiis, carceribus adeo hi morbi communes. cl. Quarin *u*) XI. Exundationes fluviorum. XII. Nivium lenta liquatio. XIII. Supreſſæ evacuationes: uti ſudoris, urinæ, alvi. XIV. Abuſus piſcium, oſtrearum, carnium ſylveſtrium. XV. Hyems humido calida. XVI. Sordities urbium, canalium ſubterraneorum defectus.

---

p) Lib. cit. Tom. II. pag. 41.
q) L. c. pag. 48.
r) L. c. pag. 38.
s) L. c. pag. 115.
t) L. c. pag. 47.
u) L. c. pag. 39.

fectus. XVII. Immundities corporis. XVIII. Herbarum computreſcentium copia. XIX. Loca mactandis animalibus deſtinata. Ex hac cauſa urbs Cork in Hybernia adeo infamis. XX. Hæmorrhagiæ magnæ cl. Grant *x*) & omnes evacuationes nimiæ. XXI. Potatio aquarum putridarum.

Hiſtoria hujus febris eſt. *y*) Sive illa febris oriatur ex infectione, ſive ex retentione alicujus humoris putridi &c. Semper primum quod patitur ſunt nervi. Vintringam *z*) Hinc illa jam in ſtadio primo debilitas ſenſuum externorum, & totius corporis dedolatio &c. Nihil enim magis inimicum eſt nervis, quam putridum cl. Marher *a*) Unde tandem bilis, humor omnium in putredinem proniſſimus corrumpitur; hinc ſemper ſymptomata circa primas vias primario apparent, fit illico nauſea, ructus putridi nidoroſi aſcendunt, horrores quidem fiunt non notabiles, ſed ſæpius redeuntes, tremor totius corporis, ſitis ingens, lingua fit alba, ſæpe nigra, pulſus celer mollis nonnunquam duriuſculus, oculorum palor, reſpiratio anxia. In hoc ſtadio nonnunquam contingunt hæmorrhagiæ ab orgaſmo humorum,

x) L. c. pag. 255.
y) Grant L. c. pag. 254.
z) L. c. pag. 318.
a) Inſtit. med. T. I. pag. 307.

rum, non criticæ, ſed ſæpe multum levantes; ſanguis e vena miſſus gerit placentam prærubram, naturali molliorem, nonnunquam cernitur pellicula, ſed ſub hac lympha coagulabilis eſt tremula. Hæc durant per tres quatuorve horas, tandem advenit calor tactui mordax Pringle *b*) pulſus præceler, mollis, & inæqualis, reſpiratio celeris, & ſuſpirioſa, cutis arida, urina mingitur tenuis, alkali redolens, alvus excernitur fœtida, tandem ingruit ſudor, & ſomnus debilitans.

Paroxyſmo ſoluto remanet virium dejectio ſumma, ſpurcities linguæ, appetitus proſtratus, apyrexia eſt brevis, etenim paroxyſmi continuo fiunt longiores, & tempus præocupantes, ut tandem ultimo vera febris putrida continua fiat.

Hoc eſt ultimum ſtadium, ſub quo oculi, dentes & labia obteguntur ſordibus plerumque nigreſcentibus cum anima fœtida, reſpiratio fit celerrima, tremula, deglutitio difficilis, æger proprio pondere delabitur ad lecti pedes, alvus & urina involuntaria excernitur, accedunt petechiæ lividæ, ſeu vibices *c*) hæmorrhagiæ a diſſolutione humorum, delirium mite, quod adeo damnavit Hypocrates, ſubſultus tendinum, æger ſoproſus, vel convulſus moritur.

Hæ

---

b) L. c. pag. 293.
c) Prax. Med. Lib. 16. §. 3.

Hæ febres ut ut in ſe jam periculoſæ ſunt, magis periculoſæ fiunt, dum aliam faciem præſeferunt, uti egregie obſervavit cl. Torti. *d*)

Non raro in paroxyſmo loco horroris accedit vomitus putridus, ſuo fœtore homines in animi deliquia in easdem febres perducens.

Sæpe ægri diſſenteria corripiuntur clar. Zimmermann *e*) fluxu hepatico veteribus dicto, cholera, per repetitas tales evacuationes æger deducitur ad ſummam virium imbecillitatem, pulſus fit exiguus, vox clangoſa aut rauca, oculorum concavitas, ſudor viſcoſus, frigidus, extremorum frigus & livor; accedunt evacuationes ſanguineæ, anxietas intollerabilis, delirium mite, animi deliquia, ſingultus, reſolutio membrorum paralytica, & æger ſub tertio & quarto paroxyſmo ad ſummum placide extinguitur. Anatome exhibet ventriculum, & inteſtina ſphacellata, ita, ut nec peritoneum, ſæpe & nec muſculi abdominales a gangræna liberi ſint.

Fraude plena eſt illa febris, quam deſcribit Torti, *f*) " quæ nullo pravitatis in- " dicio ægrum invadit, more ſolito cum horrore,

d) Therapeu, ſpecial. ad febr. pernicioſas L. III. pag. 124. & ſeqq.
e) Von der Ruhr pag. 326. & 354.
f) Lib. cit. pag. 126.

" rore, rigore & frigore, cui ſuccedit calor, " & ſtatim præcox ſudor, qui equidem febrim " videtur primo aſpectu alleviare, ſed revera " poſt illum potius intenditur febris, quam " remittitur; imo eo fortior videtur fieri, quo " copioſior eſt ſudor. At ille non eſt termi- " nus occultæ fraudis, hic enim potius longi- " tudo morbi ſignificatur, quam mors, quod " pejus eſt. Frigeſcit paulatim ſudor, & in " diaphoreticum ſenſim degenerat, ſudat per- " petuo ægrotans, & defluit undique ſudore " frigido perfuſus, ſicque perpetuo algens & " ſudans, ſicut cera liquatur, diſſolvitur & " deficit; pulſus celer eſt, minutus ac debilis, " reſpiratio fit anheloſa ac frequens, diſſipan- " tur ſpiritus, & virtus univerſaliter languet, " mens ſola lucidiſſima eſt, & ſentit homo ſe " paulatim mori, niſi autem hoc illa ipſa ac- " ceſſione ſuccedat, in proxime futuram tan- " tum protrahitur.

Idem etiam laudatus vir ſyncopem veram obſervavit, ut ex illius verbis luculenter apparet " æger, nullo licet dolore perculſus fre- " quenter graviter, & abſque cauſa manifeſ- " ta languet, exolvitur, & omnino deficit, " ſive de latere in latus ſe velit convertere, ſi- " ve ſolummodo brachium, aut manum ten- " tet loco movere, concurrit & hic pulſus de- " preſſio & viciſſitudinaria ejuſdem defectio " cum parvitate & celeritate, ſudant circa col-

lum

" lum, & frontem, ſit oculorum concavitas, " caligatio & languor, ac denique univerſalis " virium collapſus, ut continuis odoribus & " irrorationibus æger recreari indigeat, ne de- " liquium quod nihilominus patitur, crebrius " repetatur. „

" Sub forma apoplexiæ: æger primo eſt " in ſoporem pronus, a quo excitatus ſtatim " in ſomnum relabitur, paulo poſt ſit im- " memor rerum immediate ante geſtarum, un- " de non raro matulam poſcit, deinde minge- " re obliviſcitur, nec ſuos concœptus valet ex- " primere; & licet ſui erroris ſit compos, ſe " tamen nequit corrigere, imo quandoque " balbutiens, vel verba mutilat, vel unum pro " alio profert, non ſecus, ac ſi levi apoplexia " in lingua in paraliſin degenerante foret de- " tentus. Ingraveſcente tandem ſopore omni- " no jacet, ac ſtertit naribus, neque ulla vo- " ce, ulla vi, frictione, ligatura, cucurbitu- " larum aut veſicantium appoſitione, imo nec " igne quandoque actuali valet excuti, ſtatim " in eundem ſoporem, imo in profundiorem " recidit, nec niſi declinante acceſſione inci- " pit expergiſci, quod ſi una vel altera vice " reſipiſcat quidem, ſed ſemper paulo diffici- " lius, aut ſi ſoporoſæ affectioni adjungan- " tur ſingultus, tertia ad ſummum vel quarta " acceſſione inevitabili fato ſuccumbit. „

Attuli hic ſtudio hiſtorias febrium illarum, quæ maxime frequentes ; & pernicioſæ ſunt, hæ enim niſi exacte noſcantur , & ſubito e medio tollantur, plerumque ſub ſpe Medici, & amicorum finem imponunt. Quare merito inculcat cl. Torti "Quantumvis tranquilla ſub-
" ſequatur intermiſſio , res ægrotantis male
" agitur , niſi provida Medici cautela futuras
" acceſſiones mature præcaveat, ſi etiam ſibimet-
" ipſi blandiatur Medicus, vel quia minus gra-
" vem reputaverit prægreſſam aflictionem vel
" quia trasactæ procellæ memoriam infida obli-
" teret malacia, facile eſt, quod brevi per-
" eunte ægro impingat in turpe illud — non
" putaram , eique poſtmodum exprobretur
" illud alind Hypocratis de Leonidæ filia —
" Medicus non intellexit, puella mortua eſt.

Medela eſt varia: dictum fuit, quod ab initio non raro in vigore febris ſanguis phlogiſticus conſpectus fuerit, indeque febrem putridam nondum dici poſſe, licet jam adſit fomes purridus, qui humores ſuccefive in ſui naturam trahit, Dictum etiam fuit triplici modo febbrem hanc corpori communicari poſſe, hæc utique non indifferentia erunt? ſi igitur hæc febris corripiat robuſtum ſanguineum, vena ſecanda eſt ad orgaſmum humorum præcavendum , ex quo non raro hæmorrhagiæ ſpontaneæ contingunt.

II.

II. Attendendum erit, num hæc febris oriatur ex retentione illius humoris, qui actu putridus eſt, vel in putredinem proniſſimus, tunc indicatio eo niti debet, ut humor is via breviſſima, tutiſſima, & quam poteſt tempeſtive e corpore expellatur.

III. Si id contingit ex defectu reparati, cibi erunt pro ratione virium & epidemiæ accomodati ingerendi, ſicque ægri jam languentes viribus omnibus exhauſti ex orci faucibus eripiendi, ita cl. Quarin: multi ex penuria putridum contraxere, his toto decurſu morbi jura carnium tenuia ſucco citri addito largiſſime ingerenda erunt, ad corpus nutriendum & vires conſervandas, morbi enim, qui ab inanitione fiunt, repletione curandi ſunt. *g*)

IV. Si id fit ab infectione, ſic dum quis contagio tali exponitur, indicatio erit contagium ad cutim determinare & expellere, illuſtr. Ludwig *h*) ſudorem maximam criſeos partem conſtituere Huxhamus obſervavit, *i*) diaphoretica, alexipharmaca quam maxime ſuadet Pringle. *k*) Inter hæc primarium locum obtinet moſchus, crocus, camphora, acetum

 anti-

g) Lib. cit. pag. 67.
h) Adverſ. V. P. I. pag. 60.
i) L. c. T. II. pag. 113. 148.
k) L. c. p. 309.

antiſepticum &c. vel epiſpaſtica diverſis locis erunt applicanda, uti ex criticis illis ad cutim metaſtaſibus concludere licet.

Febre tandem putrida facta indicationes ſunt eædem quoquo modo illa oriatur, primum eſt quod obſervatur, ſymptomata circa primas vias. Hinc optimum eſt primas vias repurgare. Si adeſt nauſea, os ſpurcum, ructus putridi, niſus ad vomitum, illico ad emeticum erit confugiendum, ex vitriolo albo, per id enim ſubitanea ſequitur evacuatio vel ex ſola Ypecacuanha, quia hæc raro diarhæam movet, quæ in his febribus multum periculi habet ob reſorptionem hujus materiæ, & ob debilitatem, quam inducit.

Nonnunquam tamen ſolventia emetico erunt præmittenda, ſi ipſa materia ſit ſpiſſior glutine obvoluta, optime huic ſcopo ſatisfecit mixtura ex ſalibus mediis ſucco citri a clar. Quarin indicata. *l*) Non raro emeticum repeti debet, plane ſi æger magnam copiam ſaburræ ante morbum collegit; vel morbus ex vitio primarum viarum ſuum initium traxit, his enim repetitis concuſſibus non tantum fomes putridus ex ventriculo & inteſtinis, heppate, veſicula fellea expellitur, verum etiam diaphoreſi mota, illud quod in ſecundis viis abſorb-

l) L. c. p. 43. N. 5.

abſorbtum hæſit, feliciter ſecedit. Imo quandoque emetico venæ ſectio præmittenda eſt, ſi ſit ſubjectum plethoricum, ſi vita lauta prægreſſa fuerit, vel ſi vaſa ſtricta nimium, vel laxa debilia ſunt; ſed venæ ſectio in primo ſtadio celebrari debet, monente Grant *m*) & parca manu. Si jam fomes putridus in ſanguine hæret, tunc ſola remedia, quæ corruptionem ulteriorem impediunt, locum habent. Hæc ſunt ſic dicta antiſeptica, uti ſunt fructus horaci auſteri, ſerum lectis, decoctum panis ſecalini, acida vegetabilia & mineralia, radix arnicæ, & cortex peruvianus, hæc feliciſſime hic agere per tot Autorum obſervationes comprobata ſunt. Noviſſime acceſſit acidum aereum, an aer inflammabilis ſpernendus, quia nondum tentatus eſt? an ſales alcalini ex hoc fonte rejiciendi, quia humores in hac febre ſæpe alcali redolent? utiliſſime ſaltem adhibentur in gangræna ſcopo externo; quatenus vaſa jam jam mortua revificare valent, a mixtura ex ſpiritu cornu cervi & eſſentia caſtorei plurimis ſanitas reſtituebatur teſtante cl. Quarin. *n*) Si vires nimium debiles fuerint, ingerenda erunt ſtimulantia, uti eſt camphora, moſchus, vina acida, radix ſerpentariæ virginianæ, radix contrajervæ, valerianæ, arnicæ &c. Caven-

m) L. c. p. 161.
n) L. c. p. 55.

Cavendum hic erit quam maxime a veſicantibus, quia fluida perinde ſolvuntur, & in hac plaga cui applicantur, hæmorrhagiam & gangraenam producunt, ſudores colliquativos, mictum cruentum non raro effecerunt.

Ultima pars indicationis ſunt cautelæ circa injeſta: cibus hic optimus ex fructibus horacis ſubacidulis, panis, oriza, grana hordei teſtante Grant, o) potus ex lacte ebutirato, limonada, aqua pura fontana frigida, pauco vino acuata, in aſuetis majore quantitate addi poteſt, hic ſæpe vinum ſolum ſummo fervore expetitum ægrum jam jam morti proximum liberavit. Aer ſit purus, frigidiuſculus, vento agitatus, homines enim tales tranſpirant putridum, hoc fit cum emolumento, hoc quod tranſpirant docet infectio; aer enim impurus, ſtagnans non valebit id abſorbere, ſicque quod æger exhaluit, calore loci per nimiam ſtragulorum copiam adhuc magis corruptum rurſus inhalabit. Aer frigidiuſculus, quia talis maxime putredini reſiſtit, dum contra aer humido calidus putredinem adjuvat. Et hæc eſt ratio, quare ægri in magnis noſocomiis raro curentur, imo homines ex levi cauſa in noſocomium advenientes, febre putrida corripiuntur.

Ulti-

o) L. c. p. 254.

Ultima indicatio eſt, ſymptomatibus proſpicere: diarrhæa talis ſymptomatica non levis eſt: præterquam quod ægri nimium debilitentur, non raro inteſtina gangrænoſa fiunt. " Si ergo crebræ alvi dejectiones, ut pulſus " parvus debilis, inæqualis fiat, vires admo-" dum, minuuntur, morbus eſt periculo-" ſiſſimus; ſanatu difficillimus, quia quæ diar-" hæam domant, febrim augent, & ſi dejec-" tiones non impediantur, pereunt ægri Quarin. Si diarhæa talis oriatur in primo ſtadio, fit hæc a ſaburra primarum viarum. Hinc clar. Grant. intereſt tunc quam maxime, ut ſaburra e corpore eliminetur, hæc enim materies teſtante il. Van Swieten mora & calore febrili acrior redita vomitum vel diarhæam cauſat ſæpe funeſtam, dum morbo prægreſſo fractis viribus validas tales evacuationes ægri ferre nequeunt, e contra a' vomitorio illico magnum percipiunt levamen, febris dein placide pergit, & ſine moleſtis ſymptomatibus curſum ſuum abſolvit. Similis enim diarhæa originem debet ſæpiſſime vomitorio ab initio morbi neglecto cl. Quarin. Hinc emeticum exhiberi debet, & quidem tale ex ypecacuanha, hæc enim alvum moderat, metus enim eſt, ne ſordes putridæ, dum inteſtina tranſeunt, per vaſa bibula in maſſam humorum ferantur, & febrim malignitate imbuant. Diarhæa in ultimo ſtadio contingens, fit a diſſolutione humo-

humorum, tunc indicatio erit; putredinem cœptam moderari, & inteſtina roborare.

Inter hæc remedia primarium locum ſibi vindicat, arnica, cl. Stoll, *p*) hæc enim, præterquam quod putredini reſiſtat, alvum moderat, ſed non adſtringit, hæc enim in hoc morbo libera perpetuo eſt ſervanda. Huc ſpectant acida vegetabilia & mineralia, bolus armena, ſuccus catechu, cortex peruvianus, hæc omnia per os & inteſtina erunt ingerenda. Abomini fomenta ex aqua frigida, aceto, & vino rubro, ex herbis aromaticis facta erunt applicanda. Peſſimum eſt, ſi diarhææ a diſſolutione ſe adjungit meteoriſmus, ſingultus, extremorum fripus, hæc enim gangrænam jam factam docent. II. Symptoma æque periculoſum, quod ſæpe palliari debet, eſt ſudor nimium debilitans ſymptomaticus dictus, hic ſudor in initio morbi potiſſimum pendet a ſaburra primarum viarum, eaque excuſſa ſponte cedit, verum in provectiore malo antiſcepticam medelam requirit. III. Symptoma eſt delirium mite, ſopor, convulſiones, ab initio evacuans poterit dari, ſaburra expulſa, fomenta frigida capiti erunt applicanda, epaſtica ſuris, plantis pedum, clyſmata ex aqua & aceto erunt injicienda. Remedia interna optima

p) Rat. med. L. II. pag. 422.

ma moſchus, camphora, caſtoreum, aſa fœtida. His in canſortium debet vocari ſitus erectus. IV. Symptoma ſunt Hæmorrhagiæ. Hæ ſæpe contingunt, uti dictum eſt, in initio ab orgaſmo humorum; hinc in plethoricis V. ſecari debet. Sæpe a ſaburra latitante, tunc emeticum propinandum. In ultimo ſtadio a diſſolutione humorum frequentiſſime læthales nec curandæ niſi diſſolutione humorum correcta.

Hoc ordine pergendum eſt in curatione febrium intermittentium putridarum; ſed contingit non raro, ut medicus his indicationibus omnibus ſatisfacere non valeat. Dum paroxiſmi febriles ſunt tam mali ominis, ut niſi æger in primo, ſecundo, ſubſequente tandem paroxiſmo tertio certo certius inevitabili fato ſuccumbit. Sola tunc ægri ſalus in cortice reſidet, utque ita ſubſequens paroxiſmus ſi non deleatur, ſaltem moderetur, ſicque vita aegri conſervetur, & tandem tempus reliquis indicationibus explendis concedatur. His in circumſtantiis unicum remedium cortex habetur, præmiſſo ſi opus est emetico, debita doſi exhibendus, ſecus enim æger in tertio paroxiſmo perit, nam raro ſextum ſupervivit, cl. Tiſſot. idem confirmat cl. Quarin. Sunt nonnullæ febres magno calore aut ſiti ſtipatæ cum levibus deliriis, pulſu celerrimo, poſt tertium aut quartum paroxyſmum in continuam abeuntes

tes; hæ brevi cortice fugandæ ſunt. Ill. Van Swieten. Subito quoque cortex dandus eſt, ubi pulſus parvus, irregularis, ſomnolentia, vires admodum proſtratæ, maxime ſi epidemice graſſantur, cl. Quarin. Optime in hoc caſu exhibetur in vino, vel cum acidis mineralibus. Plura de his cl. Torti habet.

CAPUT VII.

De febre intermittente bilioſa.

Febris bilioſa ultimo loco pertractanda venit, ordo id poſtulat, ſic enim natura frequenter pergit, ut hyeme febres inflammatorias, vere pituitoſas, æſtate putridas, & autumno bilioſas moveat.

In memoriam hic tamen revocari debet, quod Cap. II. de febribus intermittentibus in genere monui: morbos non ſe adſtringere anno aſtronomico, ſed atmoſphæræ viciſſitudinibus, eaedem enim febres quæ obſervantur in autumno, poſſunt graſſari hyeme ſequente; eaedem quæ in hyeme nunc ſunt fors frequentes, ſequenti anno poſſunt eſſe in æſtate epidemicæ. Sic hyems gelida diſponit ad febres inflammatorias, hyems frigidohumida ſumme ad putridas; etenim dum omnia ſolida per æſtatem facta ſuere laxa, debilia, fluida, fere diſſoluta, nunc ſi leve frigus hyemali tempo-

re

re occurrit, non valebit fluida condenſare, ſolida ſtringere, ſicque putredinem cœptam nunc in actum deducet, econtra ſi in æſtate dum fluida omnia tenuia ſunt diſſipata, ſi ſuperveniat frigus, ſolida omnia conſtringendo morbos inflammatorios producet. Immo nec viciſſitudines æris tantum febrium cauſſæ unicæ ſunt, ſed plures aliæ, quæ ſub quavis febre enarratæ fuere, hic tantum ſermo eſt de ordine maxime communi & naturali.

Dicitur autem febris bilioſa ea, quæ oritur ab acrimonia bilis, eaque rancida, ſive in primis viis, ſive in ſanguine orta. De varia hujus febris denominatione, ſimulque nociva cl. Selle. *q*)

Maxime huic febri obnoxii ſunt: juvenes, viri hypochondriaci, fœminæ hyſtericæ.

Cauſſæ illius externæ ſunt ſequentes, I. Abuſus aromaticorum, vinorum ſic dictorum oleoſorum, ciborum butyraceorum, lacticiniorum, frixatorum. II. Aer collido ſiccus cl. Quarin. *r*) III. Potus cereviſiæ, Caffee, Chocoladæ, in quibus omnibus oleum empyreumaticum continetur. IV. Carnes animalium

q) Vid. L. c. p. 50.
r) L. c. p. 19.

lium ſaginatorum, Grant. *s*) V. Abuſus lardi ungarorum. VI. Calor ſolis nimius, diu toleratus, uti accidit meſſoribus. VII. Iter longum, Van Swieten. *t*) VIII. Pathemata animi: ut ira, idignatio, venus. IX. Motus nimius, præſertim in æſtate, contuſſiones, vulnera præſertim capitis. X. Dolores, maxime noctu ſævientes. XI. Vigiliæ diu protractæ. XII. Jejunium ſeverum. XIII. Frigus hyemale leve, Sydenham. XIV. Sitis diu tolerata. XV. Vegetabilium defectus.

Decurſus hujus febris eſt: antequam æger febritare incipit, jam cohabitantes in eo obſervant ruborem faciei flavedini mixtum, immo ipſa albuginea jam flaveſcere incipit. Animus eſt in iram proniſſimus, appetitus frequentiſſime præternaturaliter auctus. Tandem æger paulatim incipit conqueri de amaritie oris, præſertim matutino tempore ventriculo nondum repleto. Noctu furibundis inſomniis vexatur, ſudat, parum dormit, urinam mittit prærubram ſæpe cum dolore, conqueritur de doloribus manuum aut pedum, unde malum ſæpe pro Scheumate habetur, ſicque tractatur, ſæpe æger bilem vomit, donec tandem data occaſione febricitare incipit. Non raro optime

s) L. c. p. 351.
t) T. II. p. 453.

me valentes poſt gravem animi affectum, poſt motum corporis validum, vel potum ſpirituoſum largius aſſumptum, vel dum homines tota die radiis ſolaribus exponuntur, ut fit in meſſe; repente corripiuntur horrore, quem excipit frigus continuum diu durans, tandem ſequitur calor urens, præſertim in fronte, & regione epigaſtrica, qui calor admota manu primo levis, dein vero in igneum mutatur, rubent genæ, quamvis reliqua facies, immo ipſa albuginea flaves, pulſus eſt celer, plenus, raro durus, ſæpe contractus, reſpiratio celeris & fervida, dolor capitis acutiſſimus perterebratorius, ſitis inextinguibilis plane ad aquam, tremor labiorum & maxillæ, ſarcone *u*) ſenſus moleſtiæ circa præcordiæ, *x*) Calor cutis icteritius Home *y*) ſanguinis ſerum ex flavo virideſcit *z*) urina mingitur prærubra, ſæpe jumentoſa, alvus prodit flava, ſæpe cum dolore, axi aqua ebuliens per inteſtina tranſiret, venter miro modo diſtenditur, ſupervenit ſudor, & paroxyſmus ad tempus tollitur, remanet tamen debilitas, oris amaritudo, lingua flava, appetitus voraciſſimus, ob diætam neglectam fiunt hæ febres contumaciſſimæ, & ægri medicis odioſi.

Non-

u) L. c. T. II. pag. 258.
x) L. & pag. cit.
y) Medical. factis and Experiments. p. 15.
z) Recueil periodique T. VII. pag. 209.

Nonnunquam in paroxyſmo loco horroris dolor acutiſſimus caput prehendit, brachium, pedem, rheumatiſmum ſimulans. Sæpe aſthmatis pleuritidis, ophtalmiæ periodicæ ſub forma febris bilioſa obſervata eſt. Quandoque ægri ſub paroxyſmo vomunt bilem æruginoſam, quæ dentes ſtupefacit, os & pavimentum arrodit. Choleram vidit cl. Torti *a*), ubi in paroxyſmo humores bilioſi tam acres excernebantur, ut poſt ipſos mucus cruentus exiverat, tam ſurſum, quam deorſum cum teneſmo & torminibus, ſtomachique dolore, perinde axi illius membranæ divellerentur & excoriarentur. Nonnunquam malum ſe larvat ſub forma gaſtritidis, hæmorrhoidum, hæmoptes.

Prognoſis hujus febris eſt varia. Quandoque obſervata eſt bona, bilis enim eſt humor ſaponaceus, hinc non mirum eſt, ſi illius febris ope quandoque obſtructiones maxime inveteratæ fuerunt ſolutæ. Ita cl. Marherus *b*) vis bilis "attenuans reſolvens ex eo "patet, quod etiam ad obſtructiones vaſorum "minimorum tollendas utiliter adhibetur. Ita "fel aqua dilutum ad leucomata & maculas "corneæ tollendas non raro proficuum eſt reper-

a) L. c. p. 125.
b) T. I. p. 434.

" pertum. Dum primæ viæ muco infarctæ &
" glutine viſcido ventriculi & inteſtinorum va-
" ſa obſtructa ſunt, optimo effectu, cum alia
" amara, tum ipſa bilis animalium inſpiſſata,
" & in pillulas redacta exhibetur. „ Et hæc eſt
ratio quare febres medicis autumnales dictæ non
raro vere ingruente ſponte evaneſcunt, dum
bilis per æſtatem majorem nacta acrimoniam
pituitam ſpiſſam tenacem ſolvit, & febrim adi-
mit. Non raro bilis ipſa adeo ſolvit humo-
res, ut hydrops anaſarca febrim hanc con-
comitetur.

In genere malum eſt delirium, urina ſup-
preſſa aut dolorifica, alvus & vomitus fœtens,
multum debilitans. Contingunt ſæpe meta-
ſtaſes ad loca nobilia, unde apoplexia, peri-
pneumonia læthalis fit, ſi ipſa acrimonia bilis
mitior eſt, & febris diu durat, ſequuntur ob-
ſtructiones hepatis, lienis, meſenterii, immo
ipſius pulmonis brevi in inflammationem & ſu-
purationem abituræ.

Peſſimum eſt, ſi obeſi tali febre corri-
piuntur, tunc enim per calorem oleum liqua-
tur, ranceſcit, & febres fiunt læthales.

Raro hæc febris eſt quartana, frequentiſ-
ſime tertiana, ſæpe quotidiana, ſtimulantibus
hæc febris tractata abit in continuam, neglec-
ta ſaburra artritidem poſt ſe relinguit perti-
naciſſimam. Sol-

Solvitur vomitu, diarhæa larga, his ſe adjungit ſudor & urina critica, cæterum ſudor ſolus raro hanc febrim curat, & plerumque pendet a ſaburra in primis viis latitante.

Indicationes ſunt: evacuare, acrimoniam bilioſam corrigere, roborare, & ſymptomatibus proſpicere.

I. Indicatio concernit primas vias, quia bilis in primis viis ſedem habet. Hinc emeticum ſimile, quale in acrimonia putrida laudatum erat, exhiberi debet. Sub cautela ſi magna ſolidorum eſt tenſio, emetico tute V. ſectio præmitti poteſt. Sed manu ſuſpenſa, per nimiam enim V. ſectionem deplentur vaſa, unde abſorptio bilis in vias ſecundas promovetur. Unde frequentes obſervantur ortæ in hoc morbo exacerbationes. Dum ipſa bilis ſpiſſa eſt, debet præſcribi ante emeticum lene reſolvens ex decocto fructuum horræorum, tamarindorum, radicis graminis, taraxaci, huic utiliter addi poteſt cremor tartari vel alius ſal medius, ſæpe obvolventia debent ingeri dum bilis acris eſt, dictum enim fuit, quod ſæpe per vomitum ſpontaneum bilis ejiciatur, metalla ipſa arodens, timor hic eſt, ne viæ per vomitum bilis acerrimæ inflammentur, unde gangræna certo certius ſequeretur. Emeticum hic optime agit, quia per-

unde non tantum bilis in ventriculo hepate ductu choledocho, veſicula fellea, ſub his concuſſibus expellitur, verum etiam in inteſtinis, & in ſanguine jam hærens per alvum & ſudorem largiſſimum eliberatur. His factis ſæpe illico febris e medio tollitur.

Dum autem bilis hujus copia in primis viis major hæret, ſæpe ad ſecundum tertiumque emeticum deveniendum eſt.

Si emeticum contra indicatur, purgans ingeritur ex cremore tartari, manna, pulpa tamarindorum &c. Raro autem ea felicitas nobis contingit, ut per purgans morbo ipſi etiam accomodatiſſimum finem noſtrum tam brevi aſſequamur, ſi conſideramus iter inteſtinorum longiſſimum, an fractus innumeros, tot milliones vaſorum ibidem abſorbentium, tranſibit magna copia bilis in ſanguinem, antequam per inteſtina expellitur. Excipe caſum, ubi omnis materia ad inteſtina fuerat delata. Id docet genuum gravitas, lumborum dolor, cl. Selle. *c*) Murmura & tormina, alvi ejectiones liquidæ, corruptæ, acres, ventris diſtenſio.

De emeticis & purgantibus notandum eſt, quod ea in initio morbi & in fine, ſi ea eſt indi-

F catio

c) L. c. p. 200.

catio exhiberi poſſint. "Medicina enim non ad temporis menſuram, ſed ad morbi monumentum accomodari debet. Freind d)

Si jam bilis in ſanguine hæret: tunc indicatio II. urget, acrimoniam ejus corrigere, & mitigare. In hunc ſcopum inſervit optime ſerum lactis, tamarindatum, decoctum ex fructibus horæis, uti ſunt ceraſa, prunellæ, pruna, poma, præſertim borstorfiana. His poteſt addi cremor tartari, pulpa tamarindorum, mororum &c. Mel, acetum.

III. Indicatio eſt roborare, continuat ſaepe febris cauſſa jam ablata, tunc ad corticem deveniri debet, hic poteſt ab initio in forma Electuarii exhiberi; Quod poteſt conſtare e. g. ex conſerva fumariae, pulpa tamarindorum, Rheo, vel cremore tartari, manna, cortice peruviano, et aliquo ſyrupo ſolvente.

Si febris non ceſſat his omnibus indicationibus expletis, ſaepe cortice peruviano ad drachmas exhibito, ſubito in perpetuum febres ſublatas vidi toties in Noſocomio practico.

Non raro in febribus larvatis jam ab initio Saburra ipſa praeſente cortex peruvianus ingeri debet, ut Paroxyſmus futurus, dum eum

d) De Purg. in Sede Variar Febr. p. 23.

eum laethalem fore Medicus praevidet, ſi non penitus ſupprimatur, ſaltem moderetur, unde tandem tempus conceditur Medico, reliquis Indicationibus explendis.

Caput VIII.

De Febribus compoſitis.

Abſolutis febribus ſimplicibus ordine veniunt febres compoſitae. Febres compoſitas dari multorum autorum teſtimonio comprobatum eſt. *e*) Immo etiam ex Methodo medendi medicorum proprio ſatis conſtat. Trnka *f*).

Cauſſae, cur frequentius fiant febres compoſitae quam ſimplices, ſunt primo: Quia raro dantur temperamenta ſimplicia. Sic ponamus, homo temperamenti pituoſo ſanguinei corripitur febre, orietur febris compoſita ex pituoſa et inflammatoria. Secundo: Quia et ipſae cauſſae febris ſunt variae, reſpectu habito ad temperamentum, quae febrem movent. Sic ſi foemina hyſterica recipiat miaſma putridum, orietur febris compoſita. Nervoſa ratione ſui temperamenti, putrida ex miasmate recepto.

 Si

e) Vid. Selle L. c. p. 300, & ſeqq.
f) L. c. p. 583. de Febr. compoſ. Medela.

Si duae tantum cauſſae acceſſerint, erit febris duplex, uti: Nervoſo inflammatoria, nervoſo pituitoſa, nervoſo bilioſa, nervoſo putrida. Inflammatorio pituitoſa, inflammatorio bilioſa, inflammatorio putrida. Pituitoſo biloſa, pituitoſo putrida, bilioſo putrida. Et. putrida eadem ratione compoſita.

Poſſint etiam tres febres inter ſe componi. Primo: vel ſi in temperamento ex duplici compoſito una cauſa ab his diverſa acceſſerit, vel in temperamento ſimplici duae cauſſae externæ a ſe diverſæ. Ita ſi fœmina hyſterica, quæ magnam copiam pituitæ per hyemem collegit, corripitur febre, ex ira valida erit febris compoſita ex nervoſa, pituitoſa et bilioſa.

Dignoſcuntur hæ febres ex hiſtoriis cujuslibet febris antea recenſitis.

Medela patet: quod debeat eſſe compoſita. Videndum hic erit, ut febri magis urgenti ſatisfiat, ſæpe Medicus nunc huic, nunc alteri indicationi debet proſpicere. Hic Regulae optimae Judicium Medici, et Praxis ſola.

Ca-

CAPUT IX.

De Febribus complicatis.

Ultimo ſequuntur febres compoſitae. Sic ſi Hydropicus, phtyſicus, gravida, puerpera, epilepticus, & corripiatur febre intermittente. Medela quidem febris intermittentis eſt eadem.

Attendendum hic tamen erit maxime, an hæc febris morbo alteri proſit, ſi id videmus, febris haec erit fovenda. Sic uti dixi capite tertio de Prognoſi febris intermittentis nervoſae; ſi febris intermittens corripiat epilepticum; ſi autem videmus febrem intermittentem periculoſiorem quam morbum alterum, vel ſaltem morbum alterum inde augeri, tunc primo loco febris intermittens aggredi debet.

POSITIONES.

I.

Male ſentierunt, qui Aquam in ſolidum abire ſtatuerunt,

II.

Methodus tam Aerem fixum addendi, quam ea, quae Aerem fixum demit, ad Reſolutionem Calculi urinalis adhibita concipi non valet.

III.

Differentia inter Muſculum voluntarium & vitalem ſita eſt in majori irritabilitatis gradu.

IV.

Impreſſio Animae facta melius per fibrillas nerveas contremiſcentes explicatur.

V.

Proinde nec Molities Nervorum, nec Arctus Fibrillarum inter ſe nexus quidpiam evertit, verum multum probat.

VI.

Arteriæ et Venæ non omni Senſilitate deſtitutæ ſunt

VII.

5